

Handwritten scribbles and marks, possibly a signature or initials, located in the upper left corner of the page.



# Rhetoricę pro-

LEGOMENA LAU-

RENTII PALMYRENI.

*ad amplissimum uirum D.D. Fran-*

*ciscum Caclin del Castillo,*

*Archidiaconum Setatensem.*



VALENTIAE.

Ex typographia IOANNIS Mey.

1567.

☞ Rhetores præcipui ☞

**A**ugustini Curionis de ratione consequendi styli; Venetijs 1563.

Aurelij Cassiodori Rhetoricæ compendium.

Antonij Lulli progymnasmata in 8.

Antonij Lulli de Oratione lib. 7. Basileæ 1558. in fol.

Andree Balthazar quæstiones Rhetoricæ in 4. Parisijs excudit Simon Caluarinus. 1554.

Aphthonij progymnasmata cum scholijs Hadamarij

Apsini Græci Rhetorica.

Aristidis Græci Rhetorica.

Aristotelis Rhetorica ad Theodecten cum commentarijs Petri Victorij, Danielis Barbari, & Augustini Niphi. Eiusdem Rhetorica ad Alexandrum.

Audomari Talei Rhetorica, & annotationes in Partitiones Oratorias Ciceronis in 4. Rhemis, excudit Nicolaus Bacquenois sub leone. 1553.

Antonij Nebriffensis Rhetorica.

Apollonij Rhetorica, De figuris, & Dialogi.

Alardi Aestelmredami Descriptio Rhetorica Concionatoris, & heretici per omnes locos Rodolph. Agric.

Adriani Barlandi de Amplificatione Oratoria.

Andani Chabassij Aphorismi Rhetoricæ in 4. Parisijs 1556. Editio quarta.

Alexandri Sophistæ de figuris sententiarum, ac elocutione, interprete Natale de Comitibus, excusum reperies cum Demetrio. 1557.

Antonij Mancinelli scribendi orandiq; modus.

Bartholomæi Latomi compendium Rodolph. Agrt.  
Bartholomæi Riccij libellus de imitatione.

Consulti Chirij Fortunatiani Rhetoricorum lib. 3.  
Cœlij Secundi Curionis de omni artificio differendi.  
Conrardi Neobari de inuentione.  
Cornelij Valerij Rhetorica Louani 1557.  
Cœlij Calcagnini compendium Rhetoricæ. Eiusdem  
dialogus de memoria, & orationes multe.

Demadis Rhetoris fragmenta Græcè.  
Dionysij Halycarnassæi Rhetorica.  
Dionysij Longini de sublimi oratione.  
Demetry Phalerei de ratione dicendi, in 8. interpre  
te Natale de Comitibus 1557.

Emporij Rhetoris liber de Ethopeia.  
Epiphaniij de charactere epistolari.

Francisci Robortelli de Rhetorica facultate.  
Furij Ceriolani Valentini Rhetorica.

Gerardi Bucoldiani de inuentione.  
Georgij Cassandri tabulæ Rhetoricæ.  
Georgij Trapezuntij de Rhetorica lib. 5.  
Guilielmi Tardiui Rhetorica.  
Georgij Acanthij Partitiones in lib. 4. Rhetoricorum  
ad Herennium in 8. Lugduni 1554.  
Guilielmi Cathelinæi Andini Rhetoricæ lib. 2. Paris  
1554.

*Hermogenis Rhetorica Græcè, cum scholijs Siriani.*

*Iacobi Lodo. Strebæi de electione Oratoria uerborū.*

*Iani Parrhasij Rhetorica.*

*Ioachimi Camerarij elementa Rhetoricæ.*

*Ioannis Cæsarij Rhetorica.*

*Ioannis Hypati Synopsis Reticæ.*

*Ioannis Ludouici Viuis Rhetoricæ lib. 3.*

*Ioannis Loniceri Artis dicendi methodus.*

*Ioannis Sturmij de amissa dicendi ratione, & recuperanda lib. 2.*

*Ioannis Riuij lib. 3. de Rhetorica.*

*Ioan Maria Memo del Oratore.*

*Iulij Camilli Theatrum Eloquentiæ.*

*Ionitæ Rapicij de numero Oratorio lib. 5. ad Reginaldum Polum Cardinalem.*

*Ioannis Morisoti de parechemate contra Ciceronis calumniatores, est impressum cum eiusdem colloquijs puerilibus in 8. Basileæ per Ioã. Oporinum.*

*Iacobi Omphalij de Elocutione.*

*Ioachimi Fortij Rhetorica, & libellus de formis dicendi.*

*Ioannis Susembroti Epitome Troporum.*

*Iulij Ruffiniani de figuris.*

*Ioannis Matamoros Complutensis Rhetorica.*

*Iacobi Brocardi partitiones Oratoriæ, & paraphrasis in Rhetoricam Aristotelis.*

*Ionæ Philologi compendium Quintiliani.*

*Leonardi Aretini Rhetorica.*

**Lippi Brandulini de Ratione scribendi, emendatus  
à Sebast. Corrado.**

**Martiani Capellæ Rhetorica.**

**Marci Fabij Quintiliani institutionum Oratoriarū  
libri, cum scholijs Mosellani, Camerary, & Anto  
nij Pini in librum tertium commentario in fol. Va  
scosanus Parisijs excudit. Extant etiam Leodega  
ry à Quercu scholia in Quintilianum, in 4. Paris  
ijs. 1554.**

**Menandri Diuisio causarum Græcè.**

**Marci Tully Ciceronis Partitiones Oratorie, cum  
cōmentarijs Strebæi, Latomi, Talei, Sturmij, Val  
le, &c. Item Topica cum scholijs Talei, Goueani,  
&c. Eiusdem Orator ad Brutum cum Commenta  
rijs Maioragij, Strebæi, &c. Item de Claris Ora  
toribus cum Commentarijs Sebastiani Corradi,  
Florentiæ, 1552. De Oratore ad Q. Fratrem, cum  
annotationibus Audomari Talei, & Lodoici Stre  
bæi Eiusdem de optimo genere Oratorum, cum cō  
mentarijs Achillis Statij, & Petri Rami.**

**Methodus Græcè incerti autoris de conscribendis e  
pistolis Latinè uersa per Ioannem Sambucum.**

**Nicolai Beraldi de extemporali dicendi facultate.**

**Nicolai Liburni Veneti compēdiosa Elocutio. 1547.**

**Petri Rouilij tabulæ de Arte dicendi. Venetijs. 1545.**

**Petri Victorij in Demetrium de Arte dicendi.**

CATALOGVS.

Petri Rouillij tabula de Arte dicendi; Venetijs. 1545.

Petri Victorij in Demetriũ de Arte dicendi. cõment.

Petri Sainctfleur institutionum Rhetoricarum libellus; Parisijs in 4. 1565.

Petri Mosellani de figuris.

Platonis Gorgias, id est de Rhetorica.

Petri Rami Rhetoricæ distinctiones in Quintilianũ:  
Eiusdem Brutinæ quæstiones.

Raymundi Lulli Isagoge Rhetoricæ.

Rutilij Lupi de figuris.

Romani Aquilæ de figuris.

Ricardi Gorrhei tabula Rhetoricæ, Dialect. &c.

Sopatri quæstiones de componendis declamationibus in causis; præcipuè iudicialibus Græcè.

Sulpitij Victoris de Arte Oratoria.

Trachelei tabula Rhetoricæ.

Valentini Erythraei Partitionum Oratoriæ tabule.

Vuellichij, Zafij, Sturmiij, Melanthonis, & Erasmi Sarcerij Rhetorica meritò combusta, & in ultimum exilium missa: indigna quæ in hoc, aut ullo Catalogo legantur.

Oratores

## Oratores præcipui.

- Alanij Varenij Dialogi octo, libri. 4. Oratio. episto-  
 le. &c.  
 Alcidasantis Orationes Græcè & Latinè.  
 Andocidis Rhetoris Orationes.  
 Antiphonis Rhamnufij Orationes.  
 Aristidis Orationes 56. cum scholijs.  
 Adriani epistola pro Christianis.  
 Audomari Talei admonitio ad Turnebum.  
 Anzeli Politiani opera in 3. tomos, seu uolumina.  
 Athenagoræ legatio pro Christianis, Perionio in-  
 terprete.  
 Arnobius aduersus gentes.  
 Andree Naugerij Orationes funebres.  
  
 Bernardini Feliciani Orationes; Venetijs 1564.  
 Fernardi Iustiniiani Orationes funebres & aliæ.  
 Bessarionis Oratio sepulchralis in mortem Cleopa-  
 træ Regine, & defensio Platonis.  
 Baptiste Casalij Oratio de lege Agraria.  
  
 Claudij Baduelli Commentarius in orationem pro  
 Milone: in calce sunt orationes per multæ Sebast.  
 Gryphij. 1552.  
 Dionis historia, Troiam non fuisse captam.



Desiderij Erasmi Roterodami omnia serè opera ad  
de clamandum conducunt.

Epistolæ clarorum uirorum selectæ de quàm plurimis  
optimæ ad indicandam nostrorum temporũ elo-  
quentiam, Parisijs in 16. apud Bernardum Turri-  
sanum 1556.

Epistolæ clarorum uirorum, quibus ueterum loci cõ-  
plures explicantur Seb. Gryphij. 1561.

Epistolæ Iacobi Sadoleti.

Epistolæ Longolij.

Epistolæ Pauli Manutij.

Epistolæ Petri Bembi.

Epistolæ Budæi.

Epistolæ Cæly secundi.

Erasmi.

Philelphi.

Viuis.

Politiani.

Francisci Catanei opera Basileæ. 1563.

Gazæ Sophistæ encomium Choricij funeralis, Ora-  
tio de Martiano Episcopo, Declamatio in Tyrã-  
nicidam.

Gorgiæ Leontini de laudibus Helenæ Oratio.

Gregorij Archiepiscopi Constantinopo. Encomium.

Michaëlis Imperatoris Andronici Encomium.

Maris Encomium.

Gualteri Hadoni Angli Orationes Latine.

Iunioris Ludouici Poriseti Orationes.

Ioachimi Perionij Orationes contra Ramum pro Ci-  
cerone & Aristotile.

Ioannis Picardi de prisca Celtopædia, id est, de laudibus Gallorum lib. 5. Parisijs. 1556.

Iustini Martyris opera interprete Perionio.

Ioanis Argyropili consolatio ad imperat. Cōstātino.

Isai Orationes Græcè.

Isocratis Orationes.

Immortalitas Caroli quinti Anatholio Desbarres

Philippi nobili domestico autore in 16. anno 1559.

Ioannis Macri Sātinei Panegyricus de laudibus Mā dubiorum.

Jueij Valerij Oratio contra Catonem.

Lycurgi Rhetoris Orationes Græcæ & Latine.

Luciani declamationes aliquot.

Lysiae Rhetoris Orationes.

Libani Orationes Græcè & Latine.

Ludouici Regij Epistolæ & Orationes, Parisijs. 1560  
& uita Budæi.

Maximi Tyrij Platonici sermones, Cosmo Paccio interprete ex castigatione Alberti Picci, in 16. Parisijs, 1554. sunt autem ibi Orationes uariæ 41.

Orationes ex libris de secundo bello Pūnico Titi Liuij artificio Dialectico & Rhetorico illustratæ per Reynhardum Lorichium Adamarium.

Petri Rami Oratio initio suæ professionis habita anno 1551. hanc 2000. hominum audiuerunt; & per multi exanimati de concione subduci sunt: cuius hoc est initium; Duæ res sunt. &c.

*Tatiani Assyrii Martyris ad Græcos Oratio Græcæ  
Themistij Orationes Græcæ.*

*Titi Liuij conciones cum scholijs Ioachimi Perionij:*

*Viti Amerbachij Antiparadoxa, ubi sunt Orationes  
duæ; altera de laudibus patriæ. &c.*

*De laudibus Eloquentiæ*

*Extant Orationes Caroli Sigonij 4. Bartholomæi La-  
tomi 1. Cælij secundi 1. Aonii Palearij 1.*

*De laudibus Historiæ*

*Caroli Sigonij Oratio 1. Lazari Bonamici Oratio 1.  
Simonis Grynæi præfatio in Iustinum. Lodoici Vitis  
de laudibus Historiæ, & de Historicorum distribu-  
tione fragmentum libro 5. de tradendis disciplinis,  
pag. 350.*

*Orationes funebres extant.*

*Ioachimi Perionij in mortem Ganerij. 1. Francisci  
Robortelli in morte Caroli quinti. 1. cuius tamen ex-  
ordium à Sigonio reprehenditur in lib. dissertationis  
Patauinarum. Oratio Christophori ab Hochemberg  
in funere Zafij: adiuncta est libello Vdalrici Zafij in  
titulum de Actionibus, apud Antonium Vincentium  
Lugduni. 1543. in 8. Oratio Iulij Cæsaris Scaligeri in  
luctu filij Seb. Gryphij. Cui adiunctæ sunt Roberti  
Britanni & Benedicti Lymphanij epistolæ funebres  
& consolatorie. Hieronymi Nigri Veneti Canonici  
Patauini in Lazari Bonamici funere Oratio habita  
Patauij. 1553. Eiusdem ad Capilitium in morte filij  
consolatio; Venetijs 1553. Stanislai Orichouij Ruthe-  
ni Oratio in funere Sigismundi Jagellanis Poloniæ  
Regis in 4. Venetijs. 1548. Cælij secundi Orationes fu-*

nebres 3. Cælij Calcagnini Orationes funebres quinque. Francisci Catanei Diacetij Patricij Florentini Oratio in funere Laurentij Medices Urbini Ducis. Claudij Baduelli Oratio in funere Iacobi Albenatij in 4 Seb. Gryphij. 1543.

De laudibus Medicinæ.

Erasmi Roterodami Oratio in laudem Medicinæ. Adiuncta est libello qui inscribitur; Hieronymi Mōtui opera iuuenilia. Ioannis Portesij Orationes duæ in laudem Medicinæ. Georgij Kufneri Oratio in laudem Medicinæ: adiuncta est libello de morbis puerorum. Claudij Baduelli Oratio de laudibus artis Medicæ. Extant etiam præfationes Iani Cornarij, Leonarthi Fuchsj, Ioannis Fernelij & Valeriolæ in laudem Medicinæ.

Contra Medicinam.

Lodoicus Viues p. 174. de corruptis disciplinis. Andreas Tiraquellus in libris de Nobilitate Medicinam copiosissimè vituperat, & mox eandem laudat.

De laudibus Iuris ciuilis.

Ferdinandi Abduensis Oratio pro Iure ciuili in 8. Venetijs. 1546. Cælij Calcagnini in laudem Iurisprudentiæ Orationes duæ. Andreae Alciati Oratio in laudem Iuris ciuilis: adiuncta est libello de ponderibus & mēsuris eiusdem auctoris.

Contra Iurisconsultos.

Lodoicus Viues pag. 189. de corruptis disciplinis.

De studijs humanitatis.

Claudij Baduelli Orationes tres de studijs literarum. Oratio una Caroli Sigonij. Sebastiani Corradi Oratio de officio Doctoris & Auditoris.

Florentiæ

*Florentiæ in 4. 1548. Bernardini Feliciani Oratio 1. de studijs humanitatis. Aonij Palearij de optimis studijs defensis Oratio. 1. Viti Amerbachij Oratio de Ratione studiorum. Petri Rami de professione liberaliũ Artium Oratio. 1562. Item Oratio pro Philosophica Academiæ Parisiensis disciplina. 1550. Oratio initio suæ professionis habita. 1551. Itẽ Oratio de Legatione 1557. Cælij secundi Oratio de ingenuis artibus.*

*Pacem commendant sequentes.*

*Iacobi Sadoleti Oratio de pace ad Carolum. 5. Imperatorem. Itẽ Ludouici Regij Oratio de pace ad Philippum & Henricum Reges, Parisijs in 4. anno 1560. Querela pacis per Erasmus Roterodamum. Aonij Palearij de concordia ciuium.*

*Panegyricum scripserunt.*

*Claudij Baduelli de Ecclesiæ Christiane nobilitate. Plinij in Traianum. Erasmi in Philippum patrẽ Caroli quinti. Extant etiã Orationes 4. Baduelli in natali Iesu Christi. Panegyricus in amorem Francisci Catanei. Item uita Diacetij per Euphrosynum Lapinium. Extat etiam Dialogus Petri Mochij Senensis de cruciatu exilioq; cupidinis; in quo sunt Orationes multe pro Cupidine, & in Cupidinem: Venetijs in 8. 1550. Fragmenta quinque Polybij uersa à Raphaële Cyllenio de laudibus Scipionis, &c. 1549. Oratio Ioãnis Gallo de laudibus Diui Thomæ. 1563. Brixie. Oratio Cælij Secundi in laudem Scribarum Collegij Ticinensis. Eiusdem in laudem honoris Oratio. Item Oratio in laudem instituti Academiæ Basiliensis.*

*Epi  
riola  
regno  
Valentino.*

ORATORVM.

Poëticam laudarunt

Ioannes Minturnus, Ioannes Piña, Franciscus Robertellus, Dionysius Lambinus, suis præfationibus in Poëticam Aristotelis, in epistolam ad Pisones & Lucretium; Caesar Scaliger in suis 7. libris de Arte Poëtica. 1560. Bernardi Feliciani Oratio extat de laudibus Poëtarum, Venetijs. 1564. Viues de Disciplinis uituperat

Artem militarem.

Cicero pro Muræna. Maximi Tyrij Oratio pro Militibus contra agricolas. Bernardini Feliciani Oratio de optimo Imperatore. Eam uituperat Erasmus in declamatione; Dulce bellum in expertis: & Aonius Palearius in Oratione contra Lucium Murænâ.

Agriculturam.

Roberti Britanni Oratio de laudibus Agriculture. Cicero de Senectute Agricolas laudat. Maximi Tyrij Oratio pro agricolis contra milites.

Nauigationem uituperant

Cælius, Calcagninus, Lilius, Gregorius, & Horatius. Gueuara quoq; Hispanus in libello qui inscribitur. Vida de la Galera.

Musicam laudant

Ottomarus, Luscinus, Henricus Glareanus, Fuchsius in Commentarijs in Galenum de tuenda bona ualitudine; & Balthasar Castellonius in suo aulico libro 1. cap. 10. qui Latine, Italice, & Hispanice passim legitur: dicitur uulgò; El Cortesano.

Picturam

Plinius de Historia Naturæ; Petrus Mexia Hispanus

in sua sylvæ lectionis. Balthasar Castellon in suo aulico, cap. 11. libr. 1.

Res humiles, aut ridiculas.

Erasmus elegantissima declamatione laudavit scarabeum; Petrus Mexia Hispanico Dialogo asinum; Sebastianus Sigmarius cicadam; Cælius Calcagninus pilicem; laudavit formicam, papilionem, muscam & araneum festivo Dialogo Ioan. Choul. Odores laudas Turnebus in præfatione in Theophrastum de odoribus. Caluicium laudat Cynesius cum commentarijs beati Rhenani. Iuvenes senibus præponendos esse in Rep. gubernanda Sebastianus Foxius docet iucundo libello qui libris eius de Demonstratione coniungitur. Liliij Gregorij Gyraldi Oratio aduersus literas. Cælij Calcagnini iudicium uocalium. Ouidius de nuce libellum elegantissimum confecit, Erasmi commentarijs illustratum. Ioannes du Choul libellum de uaria historia quercus. Muscam laudavit Lucianus. Plutarchus porcellum corocottam, Thomæ Sclaricini epistola ad asinos, & Oratio ad Cocos in funere galli gallinacei.

Mercaturam & laudant & uituperant

Cælij secundi literarum & mercaturæ comparatio. Andreæ Tiraquelli contra Mercatores, & pro Mercatoribus fragmenta in libris de Nobilitate.

Monarchiam laudat & uituperat

Agrippa duabus Orationibus ad Octauium Cæsare: Græcè eas conuertit elegantissimè Cælius secundus, & Lodoicus Vives in declamationibus Syllanis.

**Laudarunt uirtutes aliquot, & reprehenderunt uitia.**

Gentiani Herueti Orationes de patientia, de uitando otio, de grati animi uirtute. Basilij Magni Oratio aduersus irascentes. Oratio de Inuidia D. Gregorij Nazanzeni. Oratio de pauperibus amandis D. Gregorij Nysseni. In idem argumentum Orationes duæ. Orationes aliquot Fontidueñas Hispani. Cæsaris Ferrantij, Suessani Osorij Lusitani ad patres Concilij Tridentini, & regiam Angliæ. 1562. Aoni Palearij Oratio de Prudentia; item de iustitia; eiusdem de fortitudine; Oratio de temperantia; Oratio de felicitate. Vitam actiuam & contemplatiuam Orationibus aduersarijs laudarunt Maximus Tyrius, & Claudius Badauellus. Liliij Gregorij Gyraldi Oratio in ingratos: Florentiæ in 3. anno 1548. Bernardini Feliciani de uirtutis præstantia Oratio. 1. Laborem laudauit Petrus Mexia elegantissimè in sylvæ uariæ lectionis. Virginitatem multis Orationibus laudauit Gregorius Nyssenus. Extant apud Paulum Manutium Romæ. 1563. adiunctis D. Hieronymi & D. Ambrosij, & D. Chrisostomi Orationibus in idem argumentum. Oratio Cælij Calcagnini aduersus immoderata studia. pag. 318.

**Geometriam & Astrologiam**

Laudant uiri docti additis elegantissimis præfationibus Euclidi, Ptolemeo, Sacrobosco, Appiano, Ponzonio Mele: & reprehendit Astrologorum apotelesmata Andreas Alciatus de uerborum significatione;



Et liber qui in prefatores nostri seculi inscribitur.

Superioribus addenda hæc.

Oratio Francisci Robortelli Venetys habita ante  
quàm initium faceret interpretandi, 1549. in qua a-  
git de solida gloria. Oratio Caroli quinti Romano-  
rum Imperatoris in Conuentu Bruxellensi, quando  
Philippum filium Principem declarauit; Cui adiun-  
cta est Oratio Antistitis Atrebatum in idem argu-  
mentum, in 4. Florentiæ. 1556 Oratio de pace ad Re-  
ges Hispaniæ et Galliæ, Reginaldi Poli Cardinalis Ia-  
cobo Pholio interprete; Romæ apud Antonium Bla-  
dum. 1555. Oratio pro inita pace inter Carolum quin-  
tum, et Franciscum Regem, habita Romæ ad alta-  
re sancti Petri per Franciscum Episcopum Sperulũ.  
Apologia Hieronymi Donati ad Græcos de Princi-  
patu Romane sedis. Eiusdem Epistola ad Oliuerium  
Cardinalem; Romæ in officina F. Minitij. 1525.  
Antonij Thylesij Epistola ad Alexandrum Cocciam  
de publica omnium letitia in Pontificatu Clementis  
7. Hieronymi Donati Patritij Veneti Oratio coram  
Iulio 2. habita. Epistola Ioannis Antonij Arcadis  
Narniensis de piscium portento, in qua pisces copio-  
se laudantur, ad Cardinalem de Elisco. Oratio Tho-  
mæ Guichardi coram Clemēte 7. de Rhodiorum op-  
pugnatione. Oratio Tablari; Hieronymi de pace et  
bello utriusq; hominis in die Cinerum Romæ habita  
coram Clemente 7. Michaëlis Ritij Oratio pro Lu-  
douico Rege Francorum ad Iuliũ. 2. Iasonis Mayni  
et Hieronymi Balbi Orationes extant habite coram  
Alexandro 6. et Adriano 6.

# Amplissimo vi

R O D. D. F R A N C I -  
S C O C A C L I N D E L C A S T I L L O

Archidiacono Setabēsi dignissimo, in tem-  
plo maximo Valentino, &c. Laur.

Palmyrenus S. P. D.



V V M R E S T V A S  
& meas eodem tempore cō-  
positas intueor uir amplissi-  
me, sentio planè mihi ad feli-  
citatē nostram declarandā,  
partim gaudio insperato, par-  
tim præteritæ calamitatis re-  
cordatione, potius lacrymas,

quàm uerba suppetere. Qui enim paulò ante in me-  
dio rerum freto tumidis odiorum fluctibus iactaba-  
mur; quos hinc aquilo, inde auster, procellosis statibus  
impellebant; quibus nulla astrorum benigna sereni-  
tas, nulla in portum patebant effugia, in portum iā  
tandem auspice I E S V delati sumus, & à præterito-  
rum malorum mœrore subtrahiti, futurorum bonorū  
opinionē recreamur. Debentur, debentur ista clarissi-  
mis Principibus, qui templum maximum & Acade-  
miam nostram in summa tranquillitate & splendo-  
re conseruant. Agitabar ipse hūc atq; illūc inuidorū  
stimulis ferme confossus; sed patrum Iuratorum &  
nobilissimi Gymnasiarchi benignitate meam omni

EPISTOLA.

Honorum genere cumulata[m] fortunam agnosco. Te etiam flammam quassatæ Academiæ fugientem, bona tua et sacros redditus ac census repetere, ac persequi lite, ac iudicio uidebamus: sed sacri Canonico[rum] senatus suffragio magnam rerum permutationem impendentem declinasse, et spe summe tranquillitatis presentes fluctus tempestatemq[ue] fugisse, omnes admiramur. Nimirum Neptunus ille aureum summa caput extulit unda, et motos fluctus composuit, id est, celebris et sacer Canonico[rum] ordo, qui tot constat Principibus et illustribus uiris, discussa suo fulgore caligine, efficit ut turbæ, lites, et tumultus euanescerent. Sunt profectio Principes quasi uitales spiritus ciuitatum; atq[ue] ab his uidemus populorum salutem, uitam libertatem, aras, focos, et omnia humana iura pendere: et si Princeps blando pacis studio teneatur, populum senties hilarescere, splendet nobilitas, ditescit artificum turba, domus, uicæ, forum, tecta, uillæ, agris; omnia demum sentire pacis tranquillitatem uidentur, ea gestire, et exultare. Hi ergo Principes studiosissimi pacis amatores te non solum ab omni tumultu liberarunt; sed etiam hilari uultu Collegam suum agnoscunt, res tuas probant, et feruide complectuntur. Gratulor ergo mihi, gratulor tibi societate Senatus medijs fidius optimi. Nam si ut uerè dixit ille, oportune diuitiæ ut ut re; opes, ut colare; honores, ut laudare, quis tibi non gratulabitur? quis te non Polycrate fortunatiore iudicabit; qui sis hæc omnia eodem tempore consecutus? Homines diuitijs affluentes et in terris beatos illos uulgus appellat, qui uestes

## EPISTOLAE

fericas, holosericas, argenteas, pocula, sapes, gemas,  
 margaritas, praedia bellè aedificata & amoena, oppi-  
 da munita & pulchra, urbes florentes, regiones am-  
 plas & fertiles, ac tandem grandes pecuniae aceruos  
 consequuntur. Addunt & his multi bestias, cicures,  
 & feras, quarum lacte uel carnibus uescimur, lana, uil-  
 lis, pellibus induimur, uiribus usi, aut onera uehimus,  
 aut uehimur, aut quae uigilantes custodiunt nos, aut  
 cantillant, aut eas ob singulare quidpiam habemus  
 in delicijs. Hæ quidem sunt uulgares diuitiae à plebe-  
 ijs & infimis hominibus approbate: at ego si quid  
 est in hac uita faustum, si quid felix ac beatum; illud  
 iudico, nempe à bono uiro laudari, in bonorum colle-  
 gium cooptari: quae duo hodie adeptus es Canonico-  
 rum omnium consensu; quanquam & in alijs uulga-  
 ribus fortunae bonis, & generis nobilitate, & opimo  
 sacerdotio possis multis nobilibus antecire. Nam Mi-  
 chaël Gasconus Ixarēsis Theologus summus, & pra-  
 ceptor tuus domesticus, maiorum tuorum res gestas  
 mihi saepe commemorat. Pendeo autem narrantis ab  
 ore, ubi audio Constantinum auunculum tuum Pio  
 quinto Pontifici maximo, Pio 4. Paulo 4. & Iulio 3.  
 charissimū fuisse. Vidit hunc florentem Roma, uidit  
 Valeria, seu Cuenca; & sui tēpli maximi Decanū ap-  
 pellauit. In huius autem tanti uiri laudē preconijs,  
 alij aequitatis, alij prudentiae, alij moderationis, alij  
 benignitatis magnitudinem praedicant; alij, ut cuius-  
 que animus ac iudicium est, publica opera, per ipsum  
 propè infinita curata magna consensione concele-  
 brant; nempe flumines coërcitos, aquas inductas, uias

## EPISTOLA.

directas, fora constructa, scholas instauratas, templa aliquot multis & magnis in partibus perpolitata, extructa Valeria, Methymnae, & Romae sacella memorantes. quae unus tanta ac tam multa decem serè annis perfecit, quanta & quam multa ne omnes quidè qui munus quod ipse Romae gerebat, tractauerant, omnibus ante seculis cogitatione sua tacitè designauerunt. De auro tuo hoc possum dicere, quod mihi ciues tui saepe praedicant; nempe eum tam mauditam in anno ne leuanda caritate sedulitatem, tam incredibilem in publicis operibus extruendis diligentiam adhibere, ut illum meritò ad praecipuum tuae patriae commodum, salutem, & ornamentum omnes natum esse existimènt. Hisce ergo & uirtutibus, & fortunae praesidijs instructo gratulari hodie meritò possumus: quoniam uerò gratulatio addito munusculo iucundior esse solet, uisum est munusculum hoc tametsi leui dense gratulationi adiungere; sunt autem nostra in Rhetoricè prolegomena, quae in tuo nomine apparere uolumus. Quamquam enim in Arte dicendi solos ueteres admiraris, tentabimus an aliquid efficere possimus ad te interpellandum, & rigida ista studia interturbanda; quasiq; barba prehensum à literis istis retrahendum ut aliquando uultum huc nobis obuertas. Neq; uerò in hoc stellionatus crimen, aut inconstantiae uituperationem suscipio; quòd quae alijs iam antè desponderim, ac donarim tibi denuò donè. Nam prolegomena nulli dedicaueram. Reliquas autem Rhetoricae partes nunc exemplis locupletatas, tibi tanquam nouas offero, eas accipies tanquam testimonium meae in te obseruantiae. Vale Valentiae calendis Ianuarij. 1567.

# Rhetoricę pro-

LEGOMENA LAU-  
RENTII PALMYRENI.



**D**ACIS otijq; sociam Eloquē-  
tiam uobis hodierno die tra-  
diturus, auditores charissimi,  
sentio nullam dicendi facultate  
tem, aut optari, aut concipi  
posse, quæ uel ardens animi  
nostri studium expleat, uel rei  
magnitudini respondeat, uel

feruentissimæ deniq; cupiditati uestræ ulla ratione sa-  
tisfacere posse uideatur. Equidem sentio rei magnitua-  
dine mihi mentem propemodum eripi, effluere uer-  
ba, animum debilitari adeo, ut unde, aut à quibus ser-  
monem aliquē instituam, uix possim inuenire. Quare  
reiecto omni uerborum apparatu, præcepta Eloquē-  
tiæ, quæ tam studiosè unusquisq; uestrum non solum  
postulat, sed etiã efflagitat, Deo duce, persequemur.

1. Dux sunt uniuersæ & generales animi dotes à na-  
tura tributæ; Ratio, & Oratio. Illius doctrina Diale-  
ctica est; huius Grammatica & Rhetorica. Nos ex  
hiscè tribus ultimam aggredimur, cuius instrumentū  
Oratio dicitur; diuersa etiam ratione opus appella-  
tur. Hæc eleganter in libello πρὶ ῥητορικῆς definit A-

Lege Hierony-  
mi Monsui o-  
puscula: uue-  
nilia, Cetera  
i. de admirā-  
dis facultati-  
bus.

B s aristote

Aristoteles; sed nos Rhetoricæ candidatis illius definitio-  
 tionem & etymologiam magis familiarem conabi-  
 mur expromere. Oratio est mentis index, quæ nomi-  
 nibus, & uerbis sensum animi, & tacitam cogitatio-  
 nem exponit. Latine quasi oris ratio dicta est, multo  
 commodius quam Græcè λόγος: si uitium sermonis est  
 ambiguitas. Nā tribus illis significationibus τοῦ λόγου,  
 quas in Theæteto enumerat Plato, aliæ etiam permul-  
 tæ adhi possunt. Cæterum Orationē necessariam, uti-  
 lem, iucundam, à uario ipsius usu appellatam esse, hac  
 similitudine colligimus. Qualem natura cultū ac ue-  
 stitum homini præbuit, talem etiam Orationem. Mi-  
 litem armis texit pro necessitate, toga Senatorē pro  
 utilitate. Ad uoluptatem uerò amictus elegantior, ni-  
 didiori ciui tributus est. Sic ob ueritatem indagandā  
 inter Philosophos expressit necessitas Orationē. Eadē  
 dem propter utilitatem ciuili prudentiā excolta est.  
 ad theatra autem eam traxit delectatio. Hinc Ora-  
 tiones, Philosophicæ, Forenses, & Poëticæ nascuntur.  
 Nos Forensē, aliter Rhetoricem uocatam interpre-  
 tari uolentes, commodè ipsius inuentorem, dignitatē  
 & utilitatem exquiremus. Diodorus Siculus lib. 1. suæ  
 Bibliothecæ Mercurium inuentorem facit Rhetoricæ;  
 ut Horatius, cum ait lib. 1. Ode. 10.

Mercuri facunde nepos Atlantis

Qui feros cultus hominum recentum

Voce formasti catus. &c.

Idem lib. 6. Mercurium non inuentorē, sed interpre-  
 tem uocat; quia diligentius quam ceteri mādāta refe-  
 rebat. Fortasse alibi fabulas, alibi ueritatē sequitur.

Seq

Ab oro, oras,  
 deducit Val-  
 la

Ann 1717 Abs-  
 orica.

Dei ait Aristoteles, cum sublatis in Sicilia tyrannis, res private longo intervallo iudicijs repeterentur, sum primū, quod esset acuta illa gens, et cōtrouersa natura, artem et præcepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse.

3. Iam Rhetoricæ dignitas ex eo colligitur, quod quicumq; Orationem excoluere, semper habiti sunt in magno pretio; et uocati quidem aliquando sapientes, hoc est σοφοί, antea quoq; uates, et poëta: et penes hos rerum summa fuit, qui soli sapere atq; intelligere supra ceteros uiderentur. Nā si consilium esset de rebus grauissimis ineundum, nulli melius utilia tã in commune, quàm priuatim prospicere posse deprehendebantur, quàm homines illi rationis atq; Orationis amantes. Si oracula interpretanda, uel placanda ira Deorum solis sapientibus his uidebantur esse propitia numina, et ad eorū preces Orationesq; respicere. Si de iure, uel iniuria disceptatio contigisset, adeo quod equū iustumq; esset perspiciebant prudenter, ut non modò cuiq; quod suum erat, redderēt: sed cum omnium gratia, consensuq; populari hos crimine liberarent, illos supplicijs afficerēt, et pacē publicā tuerētur. De natura deniq; de moribus, de doctrina, disciplinisq; omnibus, talia precipiebant, quibus uera à falsis distingui, et sensui cōmuni satisfieri posset, etiã contradicētibus, et repugnātibus contētiosis. Adeo ut uisum sit, leges et præcepta recte uiuēdi ab his cōscripta peti debere, gestaq; populi fortia memorie mandanda iisdem commendare, qui possent uirtutem scribendo uirorum fortium ab interitu atq; obliuione

Dignitas  
Rhetoricæ.



uione uindicantes, eternitate consecrare. Atq; hinc quidem ortum aliud apud Hebræos nomen: uocatiq; sunt illi, qui apud Græcos sapiētes, & Philosophi, scriba: quo modo Esdras in sacris literis scriba uelox dictus est. Huius sapientie magistri Sophistæ uocabantur. Sed deinde uitio quorundam deprauata facultate nomen Sophi & Sophistæ dedecori dari coeptum effecit, ut non Sophistæ, sed Rhetores appellarentur. At Rhetorum industria non semper laudi fuit; nam eieci urbe Rhetores Fannio, Strabone, & Valerio Messala Consulibus; sed recepti postea sunt Lucius Plotus Gallus, & Voltantius, ut dicendi artem in urbe profiterentur, omnium, quas humana industria excogitare potuit, præstantissimam. Etenim sola Oratione homines à brutis distinguuntur; & Eloquentia doctum ab indocto, tanquam hominem à pecude seiungit, & hominem inter homines regnare tanquam deum facit.

3. Utilitas huius facultatis declarata est historia Francisci Marchesij, quando ocymum Galeatio dedit; & Tyrrhei senis Lacedæmoniorum ducis contra Messenios; & Cyneæ Pyrrhi legati. Omitto exempla, quæ Valerius Maximus de uiribus Eloquentiæ congeßit. Multum certe potest hæc nostra facultas in exponendis Senatus, populiq; mandatis; in habendis concionibus, in plebe moderanda, in exturbandis improbis ciuibus, in seditionum repressu, in suasionem & dissuasionem legum, in exornatione funerum, in laudationibus, in causis publicis, in iudicijs, & periculis ciuium, in consiliorum tractatione, in militum animis

uel

uel comprimendis, uel concitandis; in omni deniq; re, quæ lumen Orationis, aut Eloquentiæ uires exigere uideatur. Cognita tantæ rei dignitate, cognita quoq; utilitate, unusquisq; uestrum alacrior ad hæc studia conuolabit. Definitionem igitur primo loco statuemus: quoniam, ut ait Galenus ad Thrasybulum: Sine definitione de dubijs rebus differere, ὁλίγη ἀλλοτρίη ἔξις. Et ego semper illum Doctorem *Vera docendæ* probaui, qui initio præclare definire, & rerum defini- *ratio.* tione comprehensarum partes eleganter diuidere, & tandem singularum partium naturam accurate persequi, omniaq; & consilio uidisse, & iudicio æstimasse, & methodo collocasse uideatur.

*Definitio rhetorica.*

4. Rhetorica est bene dicendi doctrina. Nomen autem ipsius Latinum nullum reperies, nisi cum Cicerone Artificiosam Eloquentiam, aut laudem dicendi appelles. Cæterum uox Græca à uerbo, ῥηδ ῥῶ, inusitato deducitur. Est autem ῥηδ dico, eloquor, & fluo, ut inde facile cognoscas dicendi peritum eloquentem esse oportere, & fluxum Orationis in eo desiderari; id quod doctissime. i. Iliados Homerus in suo Nestore expressit. Bene dicendi doctrinam uoco, ut sit bene dicere, id est, ornate, copiose, distinctè, & ad persuadendum accommodatè loqui: ut à Grammaticorum, & Dialecticorum sermone Rhetorum differat Oratio. Nunc commodè ad institutū nostrum aggredieremur, sed quædam antea dicenda sunt, quæ cum ad multa alia, tum ad definitionem Rhetoricæ cognoscendam, intelligendamq; conducunt. Primum enim querendū est, sitne Rhetorica ars; deinde de eius materia, ac fi-

ne accurate disputandum, tum quo modo affecte sint inter se Dialectica & Rhetoricæ.

Rhetoricæ nō esse artem

ῥητορικὴ τέχνη  
λέγεται, ὅτι  
ἔστι τὴν ἐπι-  
τήχην ἐξ ἑ-  
μῆς λόγου  
ἀνθρώπου ποιῆ-  
σθαι ὁρίσθαι

5. *Artem esse permulti negant, quod uideant ab Aristoteli. Oratorio ad Theodectem, non artem, sed facultatem appellari. Deinde Plato in Phædro, non solum artem esse negat, sed etiam artem esse non posse ostendit, quoniam interdum mentitur: id quod definitioni artis ab Aristotele traditæ, uehementer repugnat. Libro enim. 6. Ethico. cap. 3. ait: Ars est habitus ad faciendum aliquid uera cū ratione idoneus Tandem M. Tullius. 1. de Oratore ad Q. Fratrem affirmat, dicendi artem, aut nullam esse, aut certe pertenuem. Quare si tanti uiri in artium numero habendam esse negant Rhetoricen; quis erit adeo uecors, ut eam artem appellandam esse fateatur? Urgent etiam alij in hunc modum:*

*Quicquid à natura est, ars non est: quoniam natura non arte iuuatur. sed exercitatione.*

*At Rhetorica est huiusmodi;  
Ergo ars non est.*

*Item: nihil quod ex arte fit, ante artem fuit;  
At Orationes quæ ex rhetorica fiunt, ante ipsam fuerunt  
Ergo Rhetorica non est ars.*

*Ad hæc: non est artis, quod faciunt, qui artem non didicerint:*

*Sed orasse Demadem remigem, & Aeschinem hircionem, absq; ulla arte, certum est:*

*Ergo Rhetorica non est ars.*

*Præterea: omnis ars in aliqua certa materia uersatur  
Rhetorica in nulla;*

*Ergo*



Ergo non est ars.

Tandem: nulla ars opinionibus falsis assentitur.

Rhetorica assentitur;

Ergo non est ars.

6. Hæc sunt quæ isti obijciunt: sed nos omnia quasi uno penicillo, unaq; litura delere tentabimus. Aristotel. inquit, artem non uocat: ergo non est ars. Huius Reperisti uerè quod pueri in faba. Tu sanè mendosè colligis; non dixit Aristote. ergo non est? Iam Plato in Gorgia non solùm artem uocat, sed etiam artem seruantem; quare Plato tam inconstans in hac re & uariis, audiendus non est. M. Tullius seruiebat persone L. Crassi, quem in eo Dialogo loquentem facit; at in Bruto seu de Claris Oratoribus suam proferens sententiam, artem maximam uocat. Ceterum aliorum argumenta nullius momenti sunt; nam ex artis definitionis ignoratione nata sunt. Quare ne molesti sumus Dialectico more, aut propositionem, aut assumptionem negando, istorum sententias uno ferè modo refellemus: quod fiet artis definitione apposita.

7. Ars est ex multis præceptionibus ac notitijs, usu & exercitatione acquisitis, et in unum exitum ac finem spectantibus animi habitus cõstitutus, uel earum coaceruatio. Nam si ea quæ obijciuntur in definitionem artis non cadunt, frustra ab arte dicendi requiruntur. Deinde cùm ea, quæ in artis definitione posita sunt, omnia in Rhetoricen cadant, artem esse Rhetoricam negari non potest. Ceterum cùm in definitione habitum esse artem statuo, ad eas, quibus quisq; præditus est refero: cùm coaceruationem dico, ad eas, quæ li-

Definitio artis.

br̄is continentur. Esse autem hoc firmum de habitu, docet Ciceronis definitio. 1. lib. de Inuentione posita, et cum Aristo. 6. Ethico. cap. 4. artem et habitum idem ualere asserat: sequitur artem intelligi, eam quā quisq; tenet, quāq; pr̄ditus est, non de ijs quae ignorantur. Nam arti inscitiam cōtrariam esse, eodem libro cap. 5. dicit Aristoteles. De coaceruatione perspicuum est, multa pr̄cepta cuiusq; artis libris contineri: ut in hoc nostro de Rhetorica libello multa sunt coaceruata, congestaq; pr̄cepta.

8. Artis ergo constituta definitione, facilis est locorum contrariorum refutatio. Nam artis definitio nihil pr̄scribit de certa aliqua materia; igitur Rhetoricam ob id artem esse negari non potest. Iam quod artem esse negāt, quod Demades, et Aeschines absq; Rhetorica Orationes habuerint; fatemur Orationes ab istis compositas, sed ex eo non probatur, facultatē aliquam artem non esse, quod artis ignari Orationes habeant: uerū illud potius cōsequitur; artem omnē à natura, non naturam ab arte proficisci. Distinguenda est igitur ars à natura, et inscius ab artifice separandus. Nam inscius, qui usu tantum ualeat, non potest asserre causam, cur ita fiat; artifex potest.

9. Altera calumnia de falsis opinionibus, sic refelli potest. Orator interdum falsa pro ueris dicit, nec tamen ipse in falsa opinione uersatur: nam pictor in tabula oculis nostris quaedam eminere, alia recessisse ostendit; oculi nostri decipiuntur, at ipse tabulam planā esse cognoscit: sic Annibal Imperator strategmate Fabium Maximum decipit, at ipse non decipitur:

Et Cicero pro Cluentio se oculis Iudicum tenebras offudisse gloriatur, tamen ipse nullis tenebris offēdebatur. Nec est quò dicas, Rhetoricam opus suum euertere; nam quò magis laborant duo Oratores aduersarij, tantò magis uerisimile, quod est opus Rhetoricæ, stabiliunt, et confirmant.

10. Restabat unus scrupulus ab aduersarijs allatus: nā dicebant illi Rhetoricam in nulla certa materia uersari; quò possimus nodum hūc dissoluere, materie definitionem adferamus. Materia artis est ea, in qua omnis ars, et ea facultas, quæ conficitur ex arte, uersatur. Ut materia artis Medicæ sunt morbi et uulnera; sic materia Rhetoricæ erunt res omnes, quæ ornatum Orationis admittant, aut de quibus possis bene dicere; quod in hunc modum ostendo.

Aut Rhetorica uersatur in nullis, aut in certis quibusdam, aut in omnibus: si dicas in nullis, uera est amentia: si dicas in certis, cedo quæ sunt isthæc certæ non enim sunt Grammaticæ, non Musicæ, non Geometriæ, non Astronomiæ. Quare si artes singulæ, in suis quæq; et uniuersæ in omnibus rebus cernantur; et Rhetorica certas sibi res propositas non habeat, in omnibus uersetur necesse est. Atq; id nomen ipsum indicat. Rhetorica enim omnino dicitur, nullumq; genus rei nomine suo complectitur; ut serè omne; complectuntur, quæ in certis rebus uersantur. Nam et Arithmetica ἀριθμητική, id est, numerum; et Astrologia ἀστρολογία, id est, astra; et Geometria γῆς μέτρον, id est, terræ mensuram, seu magnitudines; cæteræq; certa genera, quæ proposita habent, cōplexu suo continent. Hoc ipsum

Ludo. Vines: materia huius artis est sermo et hæc utique materia, non propria.

videtur ex notationis loco. i. Oratorio ad Q. Fratrem confirmatum. Si ornate locutus est Physicus ille Democritus, materies illa fuit Physici; ornatus uerborum Oratoris putandus est. Et Aristo. Oratorio. i. cap. 2. u. At dices: reliquæ omnes disciplinae superuacaneæ sunt, hæc una necessaria; aliæ tollendæ, hæc una retinenda, nihil minus colligo. Quantumuis enim Rhetorica agit de omnibus, non tamen ueritatem exquirit, ut aliæ, sed uerisimile. Sed alia rursus perdifficilis oritur questio, nam dicet aliquis; inde colligi, eandem esse Dialecticam cum Rhetorica, quod hæc duæ facultates in omnibus uersentur: at nos id negamus. Quantumuis enim duæ facultates in iisdem rebus uersentur, non erunt tamen eadem, nisi idem sit finis, eadem probandi ratio, & eiusdem materiae eadem consideratio. Nam prima Philosophia in omnibus uersatur, quemadmodum & Dialectica: sed discrimen apertissimum est, quoniam illa ueritatem exquirit, hæc uerisimile. Zenone manu demonstrare solebat, quid inter Rhetoricam & Dialecticam interesset. Nam cum compresserat digitos, pugnumque fecerat; Dialecticam aiebat eiusmodi esse. Cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem Eloquentiam esse dicebat. Aptius tamen dixisset, Dialecticam ad subtilem Doctorum examinationem argumentum colligere; Rhetorem uero ad popularem sensum applicare: nam breuius, non raro colligit Orator quam Dialecticus: ut cum enunciationem unam pro tota argumentatione ponit interdum bene longa, quemadmodum aliis commostrabo.

12. Cicero in Oratore ad Brutum de Zenone loquens sic

He ait: Atq; etiam ante hūc Aristoteles principio ar-  
 tis Rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera par-  
 te respondere Dialecticæ: ut hoc uidelicet differat in-  
 ter se, quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi  
 contractior. Quæ Ciceronis uerba nec admodum ue-  
 re, nec satis accuratè quod expetimus discrimen con-  
 stituunt. Arist.  $\alpha\upsilon\lambda\iota\varsigma\ \epsilon\pi\alpha\phi\omicron\upsilon\varsigma$ , id est, ex altera parte Dia-  
 lecticæ respondentem uocat, quod paulò post ita ex-  
 plicat, ut illam esse dicat quandā eius partē, & pro-  
 paginem, & similitudinem. Atqui nec pars totū est,  
 nec propago truncus, nec similitudo res; non sunt igi-  
 tur eadem. Sed hoc fieri posse, uel Aristotele autore,  
 minimè uidebitur. Cū enim eodem loco utramq; di-  
 cat eas res tractare, quas ceteræ artes tractant, pro-  
 fectò Rhetorica pars non erit Dialecticæ. nā si pars,  
 hoc est, species eius esset; easdem res tractare non pos-  
 set. idcirco enim formæ seu partes constituuntur, ut  
 alijs atq; alijs accommodentur rebus.

23. Urget hoc argumentum, neq; refelli sine distin-  
 ctione ullo modo potest. Rhetoricæ quidem non est  
 sic Dialecticæ pars, ut homo animalis pars, id est,  
 forma & species dicitur: nam pars est uox ambigua;  
 sumitur enim tum pro integri cuiuspiam portione,  
 seu membro; tum pro forma seu specie. Hic autem nō  
 pro specie; ut prudentia est pars uirtutis, id est, spe-  
 cies uirtutis, homo pars animalis: sed ut Cicero Rhe-  
 toricam partem Iuris Ciuilis dixit esse libro primo  
 de Inuentione; non quia omnis Rhetoricæ Ciuilis sit  
 scientia, sed quia ad eam referatur, & altera alterius  
 ope indigeat. Sic Rhetoricæ Dialecticæ pars habendo

de est.



da est. Neq; enim aliter illa Aristotelis sententia defendi potest, nisi dicas; Rhetorica est Dialecticæ, id est, Logicæ pars.

14. Nunc Ciceronis uerba conabimur interpretari. Quando Cicero latam Rhetoricam, contractam Dialecticam uocat, ego sic intelligo: ut Dialectica in eo quod probat & concludit, certis quibusdam terminis quasi litoribus coercita sit, extra quos egredi ei non liceat: Rhetorica autem liberè tanquam plenus & redundans alueus, in medios campos sic in omnè partem excurrat, & uagetur. Quæ distinctio quoniã à Cicerone desumpta est; ut ille non rei naturam, sed fortunam potius, uel euentum, & ut uocant, accidens respiceret: illis qui ueram differentiam, & naturalem proprietatem exquirunt, parum probatur. Neq; enim annis cum æstatis caloribus & siccitatibus, uel omnino exhaustus est, uel decreuit, alius est, atq; tum cum nimia aquæ copia hyeme redundaret.

15. Sic ergo discrimen constitues: quanquam hæ duæ facultates in omnibus uersantur; non tamen in iisdem eodem modo. Dialectica enim in uniuersis, Rhetorica in singulis; hoc est, Dialectica in Thesi, Rhetorica in Hypothesi uersatur, & rarò ad Thesim accedit. De Hypothesi paulò post; nunc de fine agemus.

16. Finis est ad quem omnia referuntur; ipse uerò aliò non refertur. Officium est id quod artifex facere debet.

Rhetoricæ finis.

17. Erit ergo Rhetoricæ finis persuasio; officium uerò Oratoris exquirere in unaquaq; re quid sit ad persuadendum accommodatum. Ludouicus Vives finis

rem artis constituit, Bene dicere; artificis autem, explicare quæ sentiat, aut persuadere quæ uelit, aut motum animi aliquem excitare, uel sedare. Quintilianus inquit; persuadent alia multa absq; Rhetorica: ergo Oratoris finis non est persuasio. Nam persuadent pecuniæ, gratia dicentis, autoritas, dignitas, conspectus alicuius, pulchritudo, & facies miserabilis. Persuasit enim Antonius, quâdo detracta ueste cicatrices, quas M. Aquilius aduerso pectore pro patria susceperat, commonstrauit. Id ipsum fecit Galba Sulpitij filiolos circungestans. Phrynem quoq; meretricem non Hyperidæ Oratione, quamuis admirabili, sed speciosissimo corpore, quod dilucta tunica nudauerat, affirmant omnes magno fuisse periculo liberatam. Fallitur tamen Quintilianus; nam si isthæc omnia persuadent, aut mouent, non dicendo, ut Orator: cicatricum enim ostentatio non multum habitura est uirium, si Oratio defuerit; pulchritudo aspectus, dignitas, & pecuniæ mouent quidem, sed Oratore indigent: qui quò fuerit eloquentior, eò magis commouebit.

28. Declamatoris finem concedimus esse bene dicere. Hic enim nullo dato Iudice causam domi fingit, & suas, & aduersarij partes agit, hunc accusans, illum defendens. Quid ergo aliud declamator in causa domi composita, nullo aduersario, nullo iudice quæret, nisi bene dicere? Quò fit ut Quintilianus in causa ficta eundem finem constituat, quem in uera; nec inter fingere, & apud Iudicem uerè agere, discrimen ullum constituat; quo quid potest excogitari absurdius? Quare si Oratorem uolumus considerare ut dicentem.

tantum, finis eius erit benedicere; sin ut agentem in foro, ac Iudicis animum, quibus potest artibus, in sententiam suam atq; in causam, quam agendam suscepit, trahere contendente, erit persuasio. Quare dicere Oratoris finem esse bene dicere, eius est, qui nec susceptæ in foro dictionis finem considerat: ut si quis aratoris finem dixerit, bene arare; cum bene arandi finis sit serere. Nec clientem respicit, non secus ac si quis dixerit, Medici finem esse bene curare: quæ definitio ægroti ipsius, qui Medicam sibi adhibuit, nullã uidetur habere rationem.

19. At qui dicit Oratoris finem esse, bene & appositè ad persuasionem, & eius qui dicit, & eius pro quo Oratio suscepta est, rationem complectitur. Boëtius rerum naturæ peritissimus, & definiendi magnus artifex, quo loco discrimen inter Dialecticam & Rhetoricam constituit, nostram sententiam elegantissimè confirmat. Ait enim: Quod inter Dialecticam & Rhetoricam interest, id in materia non cerni; quippe cum utraq; thesin atq; hypothesin subiectã habeat, sed in usu, cum altera interrogatione, altera perpetua Oratione utatur; ac Dialectica integris syllogismis, Rhetorica enthymematibus gaudeat. Item in fine, quòd Dialectica quæ uult extorquere ab aduersario conatur, Rhetorica Iudici persuadere. Siquidem Dialecticus Dialecticum tantum habet aduersum se constitutum: Orator uerò habet etiam Iudicem, qui inter se & aduersarium sententiam ferat. Quocirca Oratoris finis duplex constituendus est: alter in Oratore ipso, alter in Iudice. In Oratore, benedicere,

cere, quod quid aliud est, quā dicere appositē ad persuasionem? In Iudice uerō, persuadere.

20. Neq; enim, si qua impediunt Orationem, quominus persuadeat, dum officium suum fecerit; idcirco finem consecutus non est: nam officio suo cognatum finem, facio officio, consequitur: ac tametsi eum, qui extra positus est, non semper attingit; sine tamen suo contentus esse potest, sentiens artem ipsam suo fine non fraudari. Etenim Medici opera cum in sanitatē intentata sit; Imperatoris in uictoriam: licet neuter finem, qui extra constitutus est, nonnunquam adipiscatur: uterq; tamen suum assequitur; si alter agrotum rectē curauerit; alter exercitum, ac rem bellicam bene administrauerit.

21. Sed ut rem in pauca conferam; Benedicere non potest esse finis, quoniam aliō refertur. Tādē, quicquid in omni arte eiusmodi est, ut in deliberationem non cadat, id est finis: at persuasio in deliberationem non cadit; ergo est finis. Nam nec Imperator consulat aut deliberat de uictoria, nec Medicus de sanitate, nec Nauclerus de felici nauigatione; sed de ijs quę sunt necessaria ad hęc omnia consequenda.

22. Finis est persuasio. Nam si Orator non persuadeat, non fit artis uitio; sed aut euentu, qui profectō extra Oratorē est; quare non desinit esse Orator: aut propter eius culpā, quę duplex esse potest; uel in Oratione, uel in causa, quam fouet malam. Itaq; aut non erit Orator, quippe non eloquens: aut erit non Orator, id est, uir non bonus. Benedicere autem nullo modo potest esse finis. Nēpe est instrumentū, aut instrumenti modus. Finis autē non est quod alterius causa

fit: sed cuius gratia omnia fiunt. Bene dicit autem, ut  
 persuadeat. Ad hæc, non tuo, sed Iudicis arbitratu be-  
 ne dicendum est: cui si non uideare bene dicere, non  
 solum ne quicquam, sed etiam nequaquam bene dixe-  
 ris. Igitur sine tuo frustratus abeas, etiam si fueris cõ-  
 secutus. Præterea non potest & reus, & actor æquẽ  
 bene dicere: necesse enim est, ut alteruter uel cadat  
 causa, uel cecidisse meritus sit: ergo non erit Orator  
 ille tuus, quem tu in bene dicendo constituisti. Postre-  
 mò, in eo commentario, qui ὁδοαγωγικὸς titulo ascribi-  
 tur Galeno; & in eo, qui Galeni esse minime dubita-  
 tur, de ratione artis Medicæ; quam rationem ipse uo-  
 cat ὁδοασίη; duo esse artium genera colliguntur: quæ  
 si Quintilianus legisset apud Platonem, à quo sumpse-  
 rat Galenus, mutasset sententiam de fine Oratoris.  
 Duo sunt igitur: unũ quod per seipsum consequi pos-  
 sit finem suum, cuiusmodi est Fabrica Sutrina, atq;  
 aliæ tales. Alterum, quod non semper fine suo potia-  
 tur, qualis est Oratoria, Medicina, Nauigatoria.  
 Quas artes appellant illi σοχαστικὰς; quasi coniectu-  
 ra, non certa ratione, quemadmodum dicitur in Phi-  
 lebo, compleantur.

Partes Rhe-  
 toricæ

23. Absolutis quæ ad definitionem, materiam, & finẽ  
 nostræ artis pertinebant; commodè eius distributio  
 cõsequetur. Diuiditur ergo Rhetorica in partes quin-  
 que; nempe Inventionem, Elocutionem, Dispositionẽ,  
 Memoriam, & Actionem. Hoc tamen Lodoicus Vi-  
 ues libris de disciplinis reprebendit; affirmat enim so-  
 lam Elocutionem esse Oratoris: quod & Petrus Ra-  
 uis, & Talsus cognoscunt. Sed tamen aliæ partes.

aut sint propria, aut aliunde sumpta, necessarier censentur. Cicero in Partitionibus, Rhetoricam distribuit in uim Oratoris, Orationem, & Questionem; sed obscure admodum. Per multi has non partes, sed opus uocant; sed temere, quando quidem non ab alijs perficiuntur, sed ipsa alia perficiunt. Vocarunt etiam opera, ne in sequenti diuisione in idem nomen incidere cogerentur. Nam credebant partes esse Rhetoricæ Demonstratiuam, Deliberatiuam, & Iudicialem. At nos partes esse negamus; nam si partes dicendæ sunt, erunt potius partes materiae, quàm Rhetoricæ.

24. Ceterum hic locus nos admonet, ut quæ supra de Hypothesi polliciti sumus, persequamur. Thesis ergo est questio infinita, quæ de uniuerso genere agit. Latine propositum, seu consultatio dicitur. Hypothesis est questio finita, quæ ad res singulares descendit. Latine causa & controuersia uocatur. Thesis erit, si dicas; an sit ducenda uxor. Hypothesis; an sit ducenda uxor Catoni, hoc tempore, hæc puella, hisce moribus, hac etate, paupercula.

Thesis & Hypothesis.

25. Questionum uerò finitarum, seu causarum tria sunt genera; nempe Exornationis, Deliberationis, & Iudicij. Esse autem tantum tria genera, sic ostendo: Res quæ ab Oratore tractatur, aut certa est, aut dubia. Si certa; aut laudatur, aut uituperatur: quod est generis demonstratiui. Si dubia; aut explicatur in iudicio, aut extra iudicium: si in iudicio fit, genus iudiciale: si extra, deliberatur de ea, & fiet deliberatiuum. Item; quicquid ab Oratore tractatur, aut in iudicio fit, aut extra iudicium. Si in iudicio fit, constituit ge-

Genera causarum, uel Hypothesium tria, de sententia Quinsilia.

ius iudiciale: si extra, aut est de præteritis, aut de futuris: si e futuris, fiet deliberatiuum: si de alijs, demonstratiuum. Sunt etiam auditorum tria genera; quidam enim uoluptatem exquirunt, alij utilitatem uentur, alij disceptaturi ueniunt: prioribus illis demonstratiuum tribuitur, alijs deliberatiuum, extremis iudiciale.

### Paradoxon.

Leges profanatione M. Antonij Murati in 2. Casilmaria pag. 44. Venetis in 8 1557.

26. Fabius Quintilianus probe nouerat partitionem hanc causarum esse falsam, cum inquit: Querendum est, quo moti priores, rem tam late fusam, tam breuiter astrinxerint. nam in quo genere uersabimur cum consolamur, mitigamus, concitamus, terremus, confirmamus, precipimus, obscure dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus, gratulamur, obiurgamus, maledicimus, describimus, mandamus, renunciamus, optamus? &c. Hæc ille recitat ad pompam quandam, ut rem difficile soluisse uideatur; sed non uidetur soluere: non enim quæ sunt extra iudicia, præteritum aut futurum tempus tantum habent; nam possum agere de hac stella, de hoc uulnere, de hoc quadrato. Nec tantum præterita laudamus, & de futuris deliberamus. An non etiam de præteritis, & futuris, & querendi, & consolandi, & mitigandi, & concitandi, & terrendi, offerri potest occasio?

27. Prætereà quis non uidet etiam in iudicijs tractari præterita? quare non potuit hæc differentia iudicialis constituere speciem ab iudiciali separatam.

Potius

Potius conuertiffem sic Orationem. Res aut in præteritis est, aut in futuro. Hæc sola pars præscribit deliberationem: illa secabitur in iudiciale & demonstratiuam. Iam quod certa laudari, aut uituperari dicit, falsum est: nam multa incerta laudamus, & uituperamus, ut Cicero & Cæsar in Catone; & multa certa tractamus, neque laudando, neq; uituperando; ut rerum artibus & liberalibus & illiberalibus comprehensarum incomprehensibilia penè genera. Nec dubia omnia ad deliberationem & iudicium reuocari possunt. Dubiæ sint ignorantibus res infinitæ artibus comprehensæ: an de ijs hic ignarus ex præceptis Rhetoricis senatus, aut populi deliberationem, aut forense iudicium informare; non doctum & peritum hominem adhibere, & interrogare debebit? O leuem & inertem confirmationem? Ego sanè si mihi hoc acuti homines concedant, & primæ alumni Philosophiæ, duo genera causarum efficiam; iudiciale & familiare: nam demonstratiuam & deliberatiuam iudicialis partes esse uideo: nūquam enim accusatur, aut defenditur reus sine laudatione, aut uituperatione uel persone, uel rei, uel facti, uel dicti, uel cōsiliij: quemadmodum enim ne sine deliberatione quidem; deliberatur enim de supplicio rei, aut absolutione. Non erunt species aut genera causarum, quoniam nulla species alterius speciei pars esse potest.

28. Cæterum demonstratiuo laudamus, aut uituperamus. Deliberatiuo suademus, aut dissuademus. Iudiciali accusamus, aut defendimus. Finis uerò horum trium generum sic constituitur à Cornelio Valerio,

Duo genera  
causarum.

Mentis unius  
cuiusque ge-  
neris.



& alijs. Finis demonstratiui, honestum, aut turpe.  
 Deliberatiui, utile aut inutile. Iudicialis, iustum, aut  
 iniustum. Propositum demonstratiuo delectatio; pro-  
 posita sunt deliberatiuo spes, metus: proposita iudi-  
 ciali clementia, uel seuitia. Hoc tamen reprehendit  
 Fabius, quoniam mutuis auxilijs stant omnia, & in  
 laude iustitia, utilitasq; tractantur. & c. cap. 4. lib. 3.  
 sed huius reprehensionis modus etiam acutiùs à no-  
 bis perscrutandus. Hi igitur cum minùs bene, tum cõ-  
 tra seipsos sentiunt. Vnum enim alibi faciunt utile cõ-  
 honesto. Præterea utile finis est omnium uirtutum;  
 quare etiam iustitiæ. Et iustitia cum sit uirtus distri-  
 buens quantum cuiq;, aut suum, aut satis, idcirco etiã  
 in deliberationibus iustitia pro fine habebitur. Nam  
 belli quoq; ipsius finis iustitia est. Quæ igitur in bel-  
 lo (plurima uerò ea sunt) deliberatur, ea omnia pro-  
 pter iustitiam fiunt. Postremò, si finis hominis uirtus  
 est, honestus autẽ aut affectio, aut forma uirtutis cu-  
 iusq; humani officij, actionis, cogitationis, erit hone-  
 stas finis.

Alia quinq;  
 genera causa-  
 rum.

29. Sub unoquoq; horum trium generum aliæ cau-  
 sarum formæ cõtinentur; nempe honestum, turpe, du-  
 bium, humile, & obscurum. Honestum uocamus, quã-  
 do id laudamus, suademus, defendimus: quod ab omni-  
 bus uidetur laudandum, suadendum, defendendum. Ut  
 cum laudamus fortitudinem; cum hortamur ad pa-  
 cem, cum pro patria aduersus latronẽ dicimus. Tur-  
 pe, cum aut honesta res oppugnatur; aut defenditur  
 turpis: ut si dicas aduersus patrem pro latrone. Du-  
 bium est, quando habet in se causa & honestatis, &  
 turpis

*Turpitudinis partem : ut si quis dicat pro patre latrone. Turpe est enim defendere latronem, pulchrum patrem defendere. Humile, cum contempta res adfertur: ut si quis muscam, pulicem, aut quartanã febrim, aut stultitiam, exercendi ingenij causa, commendet. Obscurum est, cum causa intricata, seu obscura est.*

*Hoc tamen extremum genus à quibusdam tanquam superuacaneum reijcitur. Sed tempus est ut absolutis Prolegomenis, ad singulas Rhetoricæ partes explicandas accedamus.*



**AS OFFICIUM BONI**  
præceptoris sequentes Apho-  
rismi utcunq; declarabunt.

1. Hûc ingressus publicam personam indue, priua-  
tam exue.
2. Quales sunt qui instituunt, tales qui instituun-  
tur, uelint, nolint, euadent longa die.
3. A parentibus exigit Deus, quicquid peccaue-  
rint filij: sic à te quicquid peccauerint discipuli.
4. Reuoca in mentem celebre Hebræorum oracu-  
lum: qui parcit uirgæ, odit filium suum; & qui diligit  
filium suum, assiduat illi flagella: Curua ceruicem fi-  
lij in iuuentute, & tunde latera illius, dum infans est.
5. Mulier sedula magna sollicitudine curat, ne in-  
fans euadat strabus, aut petis oculis, ne buccis fluen-  
tibus, ne ceruice inflexa, ne protuberantibus scapu-  
lis, ne tibijs uaris, ne pedibus distortis, & fascijs ac mi-  
tellis succingit buccas: cur tu puerorum ingenia pari  
industria non emendas?
6. Nobiles nihil habent filio neglectius: nitent eo-  
rum agri, nitet domus, nitēt uasa, uestes, ac tota sup-  
pellex, bellè docti sunt equi, pulchrè instructi famuli:  
at filij ingeniū squalet, sordet, horret. Tua ergo pro-  
uincia erit, ut hunc errorem emendes.
7. Rectè agere, potius quàm alios reprehendere, co-  
nemur: nam & multa in nobis existunt, quæ ab alijs  
taxari queant.
8. Quò maior est nauis, quò plus uehit mercium,

*hoc magis desiderat nauclerum probè doctum. Errat ergo qui dicit; Filio meo necessarie non sunt literæ, habebit uide uiuat: at meo iudicio non habebit unde rectè uiuat; et quò plus habet, hoc opus est maioribus Philosophiæ præsijs. Tu ergo nobiles maiori diligentia institue, aut præceptoris nomen relinque. Simile gaudet simili.*

9. *Quoniam iuxta uetus prouerbum, præceptor quodammodo reuerascat oportet, ut ametur à puero.*

10. *Sunt qui uelint ut illico pueri fiant senes, dum non habent rationem ætatis, sed ex suis uiribus illorum ingenia metiuntur, instant acerbè, exigunt plenam operam, corrugant frontem, si minus puer expectationi respondeat. Memento igitur illum adolescentem esse, et te fuisse.*

11. *Monet Paulus ut honore et reuerentia certemus inter nos; in quo certamine uinci turpe est, uincere uerò pulcherrimum; alios ergo Ludimagistros, Collegas tuos honore afficies.*

12. *Præceptor Christianus civili prudentia instructus, modò publicæ saluti prospiciat, omnes aduersos de se rumores facile contemnet.*

13. *Quamuis non te delectent rixæ aut contentiones illiberales et acerbæ, cognosces tamen experimèto, eum qui in publico uersatur, non posse uiuere absq; huiusmodi malis et molestijs: cum ne in familia quidè possint caueri. Hæc est uitæ humanæ conditio, et miseria. Hinc sunt etiam orti monachi et eremitæ, qui summam pietatem studiosè coluerunt.*

14. Si unicuiq; obloquenti & detrahenti esset respondendum, etas omnis esset in hoc uno consumenda.

15. Monet Cicero, ut quò quisq; maior est, hoc se submissius gerat.

16. Ut gubernator cursum secundum; ut Medicus salutem; ut imperator uictoriã; sic tu tibi omnium qui audiunt utilitatem propone.

17. Sic pronuntiabis; ut discipulos neq; celeritate confundas, neq; tarditate. Quòd si in altero fuerit peccandum; præstat celeri, quàm concitata Oratione uti: nam hæc mouet, sed parum prodest; illa Doctoris uocem confirmat, sententias diuisionibus reddit concinniores, & auditori spatium cogitandi relinquit. ideo Serapion Philosophus reiectus, quòd cursim, & raptim diceret.

18. Cura, ne tua interpretatio latius, quàm par est, uagetur; ne in alieno choro pedem ponas, ne extra tuum saltas; ne aliam, quàm profitearis artem, doceas: nam Plato Scæuola, & Aquilius omnium artium peritissimi cõsultores, eos qui de alijs artibus aliquid quæssissent, ad eos qui præcipue illas profiterentur, reiciebant.

19. Vitiosum est breuius dicere, quàm ut quisquam quod dicas, assequatur: & tam multa fundere, nemo ut possit ea mente complecti.

20. Si quid occurrat, quod sæpius repetendum uideatur, quod repetitum utilitatis aliquid & delectationis auditori possit afferre; illud tu neq; breuitatis studio, neq; causa laboris omittes: præsertim cum &

novi semper auditores accedant, & multi ex ijs qui quotidie veniant, sint saepe iuniores, atq; adeo rudiores, quam ut omnia quae dicuntur, possint celeriter animo comprehendere.

21. Illa facile discuntur, quae Doctor genere interdum, forma saepe, definitione vel descriptione nonnumquam, similitudine & notatione frequenter, numero saepius, ordine & exemplis cum e fabula, tum ex historia petitis, explicarit.

22. Recitandis exemplis operae plurimum dabis; nihil est enim quod nos aequè, ac exempla iuuet; nihil quo melius doceamur; nihil quo plus delectemur; nihil, quo magis ad discendum moveamur.

23. Si tu secus viuas, ac praecipis discipulis, eris cum cithara comparandus; quae sono prodest alijs, nihil ipsa sentit. Multo facilius Doctorum vitia, quam virtutes imitamur. Sic latos Platonis humeros, Aristotelis balbutientem linguam, Leonidae ebrietatem, C. Fimbriae turpem pronuntiationem auditores imitati sunt: quoniam si prope claudum maneam, claudicabis.

24. Qui virtutes bene vult alios docere, vitijs ipse prius carere debet: ne illi merito dici possit. *Medice cura te ipsum.*

25. Boni praecipitores sunt, qui quod alijs faciendum praecipiunt, ipsi prius exequentur: nec verbis solum, sed rebus etiam & exemplis volunt praere: memores eum, qui fuit summus omnium magister, prius facere, quam docere coepisse; & Socratem plus utilitatis discipulis suis moribus, quam verbis attulisse.

26. Bonus praceptor non docet inuitus, sed ultrò  
 VOCAT

uocat auditores, monet amice, inuitat benigne, erudit liberaliter, & ad discendum semper officiose, & per amanter hortatur; nec eò spectat, ut ei potissimū inferuiat, à quo plurimum speret; sed hoc potius maxime sui officij putat esse; ut quisq; maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari.

27. Socratem uideo cum pauper esset, non munera quæ mittebantur spreuisse; sed tamen nihil ultrò unquam petiisse.

28. Bonus præceptor creabit duos Censores, aut morum magistros; apud quos summa sit censendi, & in tabellam referendi puerorum errata autoritas. Hi septimo quoq; die tabellas magistro exhibebunt; qui singulis diligenter perspectis, quosdam dissimulabit, utpote rebus leuissimis notatos; alios obiurgabit seuerè; erunt fortasse aliqui ob grauiora quædam flagris cædendi; alios pecuniola multare licet ad eos ipsos reditura: nempe emptis calamarij armamentis, cultello, forficula: atq; hæc erunt premia illorum, qui egregie declamauerint, aut elegantiore epistolam confecerint. Cæterum si ærarium exhaustum sit, nec quicquam ex erratis pecuniæ contrahi potuerit, censenda erunt puerorū capita; ac pro facultate cuiusq; quantum satis sit, exigenda.

29. Præceptorem duodecim conuictores discipulos habere sat est; nam plures oberrant in atrio, nec sine tumultu & iurgijs constare tantus numerus potest. Duodecim fuerunt discipuli domini: duodecim ergo admittet; hac lege, ut ne adulti cū iunioribus cubet; & si quò eundum sit, bini incedat; & præceptor primus surgat, postremus cubitum eat. Instituendi etiam

sunt, quo pacto deceat admittere ueniētes, abeuntes dimittere, & uerecundē salutare.

30. Quatuor, ad summum quinque horas præceptorē docere satis esse iudico; sed non pauciores quā quatuor: quæ pro ordinum ratione, & tempore, erūt impertiendæ.

31. A Censoribus notanda hæc sunt: si quis uernaculo sermone in schola utatur, obscœnum, aut contumeliosum uerbum, iurandi leuitas, mēdacium, si quis hominē grauem, ac dignitate aliqua præstantē præterierit, nec caput nudarit, aut honore affecerit; si nisi causa urgenti per uiam cursitauerit, aut lapidem iactauerit, uel ioco.

32. Cū epistolas sermone uernaculo dictauerit, atq; eas discipuli Latinas fecerint, non solum eas emēdabit; uerū etiam quemadmodum id quod erat dictatum, rectē conuerti potuerit, ostendet: & suam de inde conuersionem proferet.

NE PAGELLA VACVA RELINQUATUR, locum Ciceronis apponam.

Ioculare in libellum composuit Cicero, cuius tantum hoc extat fragmentum.

Fundū Varro uocat, \* quē possim mittere funda, \* *quis*

Ni \* tamen exciderit quā caua funda patet. \* *lapis*

Sensus est: Quāquam modicus etiam locus fundus dici potest; cū fundum non magnitudo ipsa faciat, sed domini affectio & designatio: tamen Varronis cuiusdam designatio ridicula potest uideri, qui tā exiguis finibus fundum definiuit ac designauit; ut totus quātus est, funda mitti possit: imò ut propter paruitatē uix in cavitare fundæ herere possit.






# Prima pars rhe

TORICÆ LAUREN-  
TII PALMYRENI

*Ad amplissimum virum D.D. Franciscum  
Cacim del Castillo Archidiaconum  
Setabensem.*



VALENTIAE.  
Ex typographia IOANNIS Mey,  
1567.



# Laurentij Pal-

## MYRENI DE CO- PIA RERVM, ET ARTIFICIO

ORATORIO LIBRI DVO: IN QVIBVS

*Topica Oratoria & Dialectica uarijs exem-  
plis eloquentia illustrata cer-  
nuntur.*



Voniã nec Medici, nec Ora-  
tores, quamuis artis præce-  
pta perceperint, quicquam  
magna laude dignũ sine usu  
& exercitatione consequũ-  
tur; nos qui auditores no-  
stros ignauos esse nolumus;  
ea ad exercitationem, Deo  
duce, illis hoc anno tradere decreuimus; quæ & in-  
telligendi prudentiam acuere, & eloquendi celeri-  
tatem ualeant incitare. Delegimus ad eam rem præ-  
cepta copiae rerum, cum inuentione Dialectica &  
Oratoria coniuncta: ita ut facile cognoscas, artem,  
& exercitationem simul à nobis exemplorum ua-  
rietate coniungi. Nam quæcunq; in Topicis Aristo-  
teleis, aut M. Tullij obseruatur, ea omnia copia re-  
rum ad usum, & calamiu mira suauitate, & perspi-  
cuitate reuocat. Commendare uerò hic longa Ora-  
tione, aut copiã rerum, aut inuentionem; superuaca-

neum

neum fuerit: quandoquidē tota hæc res inuenta, & exercitata à doctissimis, iuxta ac prudentissimis hominibus, nō otiosa loquacitatis ostentationem, sed docendi, discendi, ac dicendi methodum complectitur. Nemo enim aut Oratorium, aut Dialecticū thema, vel argumētum rectē explicare, sine uarietate Orationis, sine figuris copiæ rerum aggreditur; saltem qui vniuersam gloriam, aut studiosi nomen, uel auidē ficiunt, uel summo studio requirunt, omnes suos conatus, omnia sua studia ad hæc duo conuertunt; & huius facultatis auxilio foeda Orationis uitia effugiunt; nempe

Falsum,	Contrarium,	Superuac.
Stultum,	Commune,	Ineptum.

Ego sanē illa præclara, quæ uigebant olim, rerū laudandarum studia periisse, atq; extincta prorsus esse, non aliam ob causam crediderim, nisi quod hæc facultatem studiosorum aut arrogantia, aut negligentia perdiderit. Ita enim hæc amisimus, ut ex studiosorum nostræ Hispaniæ magno ac infinito prope numero, qui suam hoc in genere industriam exercēt, non tamen ita multos, qui tolerabiles uideātur; qui uerò excellant, quā paucissimos, aut fortasse neminem liceat inuenire. Agemus ergo de inuentione rerum, & copia: quæ duo, laudabile illud in Oratoribus & Poëtis artificium constituunt. Est autē artificium, quo ad aliquid citius, & melius faciendū præceptis informamur. Quod Cice. 1. Orato. ad Q. Fratrem ex eloquentia natum existimat, non autē eloquentiā ex artificio. Solet uerò ille uocare artificiosè digesta es, quæ sunt arte quadā disposita. Et. 2. de

Commendatis  
huius dispo-  
sitionis.

Definitio, &  
laus artificij.

Loqui & dicere nō idem.

Natura Deorum, artificiosum opus, & diuinum uocatur, quod maxima laude dignum iudicat. Et quoniā de eiusdem sententia non est idem loqui & dicere; ego planē audacter confirmo, illos qui inuentionem solam sequuntur, loqui; eos uerō qui rerum copiam & dilatandi rationem cum inuentione coniungunt, dicere. Sed iam rem ipsam, Deo duce, appositis definitionibus auspicemur.

Inuentio est doctrina inueniendi, seu excogitandi argumenti. Argumentum uerō est ratio rei dubie faciens fidem: hoc est, argumentum est id quod iam creditum, ad fidem rei nondum creditæ sumitur. Vocamus argumentum hoc loco Grammaticorum exemplo: nam ut illi uocabulum appellant, sic nos simplicem rationem argumentum appellamus.

Dictum ergo est argumentum ab arguo, quod arguat, id est, demonstret, quid uerum, quid falsum sit. Vocatur aliter ratio, probatio, & medium. Faciens fidem, eodem modo intelligendum est, quo. i. Rhetorico ad Theodestem  $\phi\acute{\iota}\rho\alpha\gamma\ \alpha\iota\sigma\tau\alpha$ , id est, probare & confirmare. Paratur autem fides trifariam; nempe sensibus, affectu, & argumentis. Sensibus, ut si dicas, hisce oculis uidi, hisce auribus hausi, unde illud Plautinum: Pluris est oculatus testis unus, quā auritū decem. Affectu, ut quando aliquis amore compulsus in deformi femina insignem uenustatem & pulchritudinem se reperire affirmat; aut inuidia commotus res bonas uituperat. Ad extremū, paratur fides argumentis, de quibus & Dialectico & Oratorio more uerba faciemus. Vocantur autem argumentorū

præcepta ἑποί, seu ἑπιμή, quoniam τὸ πῶς, Græcè lo-  
cus est, & quantumuis in hisce locis nulla sunt ar-  
gumenta; tamen quòd ea uideantur indicare ἑποί,  
id est, loca per Metaphoram, aut Catachresin di-  
cuntur.

2 Loci uerò sunt quasi sedes, & domicilia argu-  
mètorum, in quibus latent. Locos alij aliter partiū-  
tur. Aristoteles quidem in Topicis nullam eorū ad-  
hibuit diuisionem, nec uerò certum ordinem serua-  
uit. In arte autem Rhetorica duo genera eorum po-  
suit: quam eius diuisionem, quoniam cum propè o-  
mnes docti, tum uel maxime Cicero secutus est, eam  
etiam nos hoc tempore sequemur. Dicamus igitur  
locos partim in ea re quæ incidit in disputationem,  
hæerere; partim assumi extrinsecus. Illi in re ipsa in-  
herent, & insiti sunt, quos disputatoris diligentia à  
re ducit, & sumit. Illi extrinsecus adhibentur, qui  
sine disputatoris arte, & diligentia pariuntur; ut te-  
stimonium, & auctoritas: uocantur autem

ἑπιτεχνου,

insitum,

artificiale,

ἀπτεχνου,

assumptum,

remotum,

inartificiale.

Argumenta  
assumpta ad  
disputationem  
pertinent ma-  
gis quam ad  
Inventionem.

Per multi alia utuntur diuisione. Volunt enim lo-  
cos alios esse personarum, alios rerum: sed ego locos  
personarum ad locum adiunctorum reuocandos cœ-  
seo.

3 Usus locorum seu argumentorum hic est. Propo-  
nitur aliquid ad disputandum, & quale sit quæri-  
tur

*Cur: id tale esse, quale uolumus, uel ex loco definitionis confirmamus, uel notatione uerbi, uel ex partium enumeratione. Ut si queratur siue iustitia expetenda; id primum concludetur eius definitione: Iustitia est uirtus suum cuiq; reddens; reddere autem suum cuiq; in rebus expetendis est, Iustitia igitur est expetenda. A coniugatis etiam hoc concludere sic licebit. Si id quod iuste fit expetendum est, etiam expetenda Iustitia est.*

### *Scholia.*

*In puerorum gratiam hæc omnia paulò copiosius exponemus. Dicimus igitur argumentum esse id per quod aliud cognoscitur; itaq; argumentum adhibetur rei dubiæ, id est, questionis probandæ ut de ea fidem faciat: exponitur autem in probandis certis sententijs, quæ uel necessario, uel propensius creduntur: quæ si argumentationis lege seruata exponantur, sit necessaria conclusio alioqui inepta: ut si dubitetur an inter Canum & Frigolam sit amicitia, fit fides sumpto argumēto à uoce amicitia. Quid est amicitia? est uoluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. At inter Canum & Frigolam est talis consensio; ergo inter Canum & Frigolam est amicitia.*

*Argumentum triplex est; necessarium, ut Apodixis; probabile, ut Epicherema; fallax, ut Sophisma. De probabili tantum nos agimus in his libris.*

*At dices: Cicero dixit in Partitionibus: Argumentum est probabile inuentum ad faciendam fidem*

Quintilianus affirmat probationes esse, aut necessarias, aut credibiles; aut non repugnantes; male igitur Cicero argumentum, seu probationem tantum probabilem definiuit? Respondeo, Argumentum probabile saepe dicitur pro eo, quod non est necessarium. Non ergo dixit Cicero, quod excluderet necessariū, sed ut ostenderet non oportere omnes probationes esse necessarias, sat esse, si credibiles forent. Itaque omnia necessaria possunt esse probabilia, non omnia probabilia necessaria.

Probabile quid sit docet Cicero lib. 1. de Inuentione; Arist. 1. Topic. Quintili. lib. 5. cap. 10. Aristot. 2. ad Theodecten.

Rei dubiae fidem facit probabile inuentum; at oportet ipsum inueniri; sed quae extrinsecus assumuntur non inueniuntur ab Oratore, sed ad eum à litigatore deferuntur; ut sunt testimonia. Itaque non omnne argumentum est inuentum. Dicemus in hac definitione non uocari inuentum quod est Oratoris artificis excogitatum, sed quod è loco in quo latebat de promptum est; quodq; prius in loco suo quaesitum tandem inuentum est. Non autem sic ut à causa petitum ducamus, sed è sua sede uelut erutum uocamus.

Vsus est argumentorum ut rebus apertis ea non adhibeas, sed dubijs; et ea quidem, quae confessa sint.

Duia enim dubijs probari non possunt, cum probationem alicuius rei ea notioem esse, et certiore esse oporteat; ut Quint. confirmat. Tamē sunt quaedam in alterius rei probationem adducta, quae ipsa probanda sunt: et illa firmiora sunt quae ex dubijs

Lib. 5 cap. 8.

Quint. 12.  
li. 5. inst. Ora.Cap. 10. li. 5.  
inst. Ora.



facta sunt certa. Quæ autē per se infirma sunt, cum singula sumuntur, congreganda sunt. Valebunt enim grandine, si non fulmine. Præterea ex ijs quædā non est satis ponere. Sunt etiam adiuvanda: ut si cupiditas, uel ira causa sceleris fuit; ostendendū est quantum efficiat in animis hominū talis affectio. Etsi cuiusq; affectionis, ut iræ, & cupiditatis causa profertur, multum hoc proderit. Sed non omnibus argumentis quæ occurrunt, iudex est operandus; quia tedium adferunt, & fidem detrahunt. Probationes etiam Patheticæ multum ualent. Considerandum est, apud quem agimus, & quid illi probabile maxime possit uideri. Utendum probationibus ex asseueratione, quæ quidem firmiores sunt ex sua cuiusq; persona. Hoc autem in illarum collatione obseruandū est præcipue, sic ordinentur, ut causa postulat, hoc excepto, ne Oratio decrescat. Vide Rodolph. li. de Inuent. cap. 19.

Quoniam loci sunt argumentorum sedes, Cæro dixit in Topicis argumenta esse in locis inclusa, non uerò ideo, quòd illa omnia in causa sint, & ab ea trahantur; non enim testimonia sunt eiusmodi quæ alioqui uocantur argumenta. Itaq; inquit F. bius; ut earum rerum quæ abscondite sunt, notato & demonstrato loco facilis est inuentio; sic cum peruestigare argumentum aliquod uolumus, locos nosse debemus. Nam ut in terra non omni generantur omnia, nec auem, aut ferā reperias, ignarus ubi que nasci, aut morari soleat: & piscium quoq; genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam,

littoribusq; discreta sunt; nec helopem nostro mari,  
aut scarum ducas; ita non omne argumentum un-  
diq; deducendum, nec ubiq; querendum est, multus  
& incredibilis labor te torquebit. At si scias ubi  
quicq; nascatur & lateat, cum ad locum uentum e-  
rit, quicquid ibi sit facile providebis.

Omne argumentum oportet cognatum & cohaerens esse cum re; ergo non argumentorum alia haerent, alia non haerent rei de qua queritur? Respond. Cohærens consentaneum uoco quod à re proposita non abhorret; non autem ut Cicero, qui haerere dixit quod insitum infixumq; causæ est. Consentanea uero sunt contraria negata cōtrarijs affirmatis, & affirmata negatis: & hoc modo repugnantia affirmata negatis, negataq; affirmatis consentiunt. Ad eundem modum repugnantia, uel contraria affirmata, sunt infixa repugnantibus, uel contrarijs negatis: ut iure possidet, igitur non inuitus debet reddere. Item lex est iniqua quæ de iure nihil remittit, sed summum ius ad unguem sequitur; ergo nō est æqua lex utrobq; ex affirmatione unius illic repugnantis, hic contrarij, negationem, seu repugnantis seu contrarij colligo; & certè affirmatio unius negationi alterius consentanea est, nec aliter à repugnantibus, aut contrarijs argumentari possumus. Quæ sint argumentorum communia docet Fabius cap. 8. lib. 5.

Rodolp. ca. 21  
lib. de Inuen.

De argumentis assumptis, seu inar-  
tificiabilibus. Cap. I.

**I**N prima huius operis editione primum locū occupauit argumentum artificiale, extremum inartificiale: sed nunc experimento cognoui, pueris iucūdiōra esse quæ minus habent artis, & minori diligētia comparantur: age igitur, assumpta declaremus. Assumptum argumentum est, quod per se, suaq; natura fidem non facit. Nam fides eius argumento aliquo artificiali expenditur, & confirmatur. Arist. lib. 1. cap. 15. ad Theodectem assumptorum quinque modos constituit. Sunt autem:

Lex, Testimonium, pactum,

Questio, Iusiurandum.

Attamen hæc omnia argumenta serē auctoritates & testimonia uocantur. At dices: Cur inartificialia uocantur? Arist. cap 2. lib. 2. ad Theode. affirmat sic appellari: quoniam à nobis non inueniuntur, sed prius inerant in causa. Cicero in Partition. Nec eò dicuntur sine arte, quòd ita sint; sed quòd ea non pariat ars Oratoris, sed ad se delata tamen trahet. Fab. lib. 5. cap. 1. inartificiale uocat quod extra dicendi rationē accipit Orator. At testimonia plerumq; ab Oratore inueniuntur, ut Poëtarum & Philosophorum: & argumenta alia artificialia sepe à litigatore ad Oratorem deferuntur, ut adiuncta, facta, subiecta. Appellentur igitur potius inartificialia, quòd ex se, & sua natura minimum habeant artis, id est fidei & probationis; ut ex sequenti uniuscuiusq; explicatione cognoscetur.

Lex.

Argumentum primum expertis artis dicitur lex; quæ in scriptam; & cōmunem, seu non scriptam; di-

uidetur

videtur. Vtriusq; generis exempla reperies in ea, quæ est pro Milone, pag. 214. linea. 19. & 215. lin. 3.

Quia testes sunt Di apud Poëtas, aut homines, Testimonia  
testimonia quoq; duplicia sunt; Diuina, & humana. Oracula & Prophetiæ sunt exēpla testimoniorū diuinorum. At sententiæ Poëtarum & insignium personarum uocantur humana testimonia. Sic Themistocles suadet Atheniensibus bello nauali decertandum esse, interpretans oraculum de ligneo muro; & Diogenes Laërtius scribit Solonem persuadere conatum fuisse Salamina insulam esse Atheniensiū, quoniam Homerus in catalogo nauium id confirmat. Prouerbia quoq; testimonia sunt. si quis consulit amicum senem non esse beneficijs afficiendum; prouerbum hoc testificabitur, non esse beneficium in sene collocandum.

In pactis sunt tabule priuatae & publicæ, quæ ad questionem affirmandam, aut negandam afferuntur. Item fœdera priuata & publicæ, quæ non scribuntur; quale fuit pactum Antonij cum Cæsare de euertenda Rep. Huc promissa pertinent: Ciceronis exemplum habes Philippi. 5. pag. 400. lin. 9. Pignus pactum quoddam est; nempe id quod deponitur ab his, qui decertant apud Sequestrum: sic Aecloga. 3. Vis ergo inter nos. &c.

Pactis:

Questionem intelligimus tormenta, & dolorem corporis ad eruendam ueritatem. Aut; Quæstio est quando tormento & ui confessio aliqua extorqueatur. Tale fuit argumentum contra Milonem, quod à Cicerone deridetur.

Quæstio:

Huc referri potest argumentum quo utimur, cum affirmationis nostræ probationem & experiētiā proponimus. Sic contradicentem Gnathonem iubet Parmeno experiri, quid Dorus possit in literis, in palestra, in Musicis.

*Iusiurandum*

Iusiurandum est affirmatio religiosa, & uinculū magnum ad astringendam fidem. Sic Aeneas;  
 Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,  
 Inuitus regina tuo de littore cessi.

### Scholion.

Argumentum inartificiale, cum subtilius ueritas exquiritur, magnam uim probationis non habet. Sic docet Plato in Protagora, in Gorgia, & in Charmide. Videtur autem appellatum à ueteribus inartificiale; non quòd locum & præceptum in arte nō habeat; sed quòd ex se & sua natura facultas ē probationis non habeat, nec quod potest, per se possit; & ut breuissimè rem absoluam; inartificiale dicitur, quoniam ex se & sua natura minimum habeat artis, id est, fidei, & probationis. Nec enim quia aliquis quid dixerit, idcirco uerum esse credimus; ut Arist. ca. 8. lib. 1. de Interpretatione: Nec enim propterea res erit, aut non erit, quòd affirmata sit, aut negata. Veritas ergo argumenti inartificialis, causis, factis, subiectis, adiunctis personarum, & rerum, quæ testimonij causa proferantur, examinanda, & expendenda est. Quandoquidem hæc fides fama, & existimationi persone tribuitur. Mores autem sunt maxime persuasionis, si prudentia, bonitas, & beneuolentia

neuolementia coniungantur. Nam sapientia, bonitas, beneuolementia summæ sunt in Deo; ideoq; diuinis testimonijs summa fides adhibetur ex personarum circumstantijs. Cicero lib. 1. de Natura Deorū, docet argumentum inartificiale à testimonio fuisse magnè momenti apud Pythagoræ discipulos. Nam cum ex ijs quæreretur cur aliquid ita esset, respondebant; Ipse dixit: ipse autem erat Pythagoras. Tantum ualuit opinio præiudicata, ut etiam sine ratione ualere auctoritas. Maximus etiam usus huius argumenti cernitur in ciuilibus negotijs, & iudicijs. His enim lites instruantur, & de capite, fama, fortunisq; ciuium iudicatur. Qua de causa Rhetores eum locū in utramq; partem studiosè tractarunt; ut pro testibus, & contra testes. Præiudicia, rumores, tormenta, tabule inartificialia iudicantur.

Præiudicia sunt sententiæ dictæ, quæ iudicaturis exemplum, quod in paribus, seu eiusdem speciei causis sequantur, adferunt. Confirmabimus præiudicia auctoritate eorum, qui pronunciauerunt, & rerum de quibus quæritur similitudine: labefactabimus auctoritatis eleuatione, & rerum dissimilitudine.

Rumor, seu fama. Contra rumorem dicturus uocabit sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas; eumq; nulli non etiam innocentissimo accidere posse fraude inimicorum falsa uulgantium. Pro rumoribus cum eos uolet firmare ac stabilire, dicet: Non temerè spargi, sed esse quasi publicum testimonium.

Tormēta supplicia sunt, quibus extorquetur ueritas; si probas, dices inuentam quæstionem ob uera fatendi necessitatem; si refutas, ostendes hanc fatendi necessitatem plerunq; causam esse falsa dicendi, quod alij tormentorum patientes, alij sunt impatientes; illi cruciatus contemnunt; hos mentiri cogit dolor.

Tabulæ sunt apochæ, antapochæ, epistolæ, chirographa, codices accepti & expensi: pacta reselluntur si fides abrogetur; signis, si probemus tempora non congruere, aut pugnancia esse scripta, aut dolo, uel metuue extorta.

Testes sunt illi quorum est dicere quæ scierint, uel audierint, quos accusator producens integritatem eorum, & fidem commendabit: defensor si potest eleuabit. Debent utiq; probatissimorum ualere testimonia.

## Cap. 2 de argumentis artificialibus.

Argumenta insita, seu artificialia sunt, quæ ex seipsis fidem faciunt. Intelligimus autem, fidem ex seipsis facere; quoniam argumentis ex causis effectis, & c. per se credimus: in artificialibus uerò, id est testimonijs, ratione causæ, facti, subiecti, & aliorum artificialium. Distribuemus uerò artificialia in prima, & à primis orta, Grammaticorum exemplo, qui habent uerba primaria & deriuata; ut facio, factito; c. nos causas & affecta argumenta prima uocamus, definitiones uerò & diuisiones à primis

nis orta; quoniam à causis & effectis deducuntur.

6 Artificiale primum est simplex, nec aliunde ortum; quoniam huius consideratio prima est, nec ex sequentibus regulis pendet. Nam doctrina causarum potest intelligi sine doctrina definitionis. Argumenti primi quatuor sunt formæ;

Cause, & effecta;

Subiecta, & adiuncta;

Opposita;

Comparata.

Ceterum inopia uocabulorum sex uoces pro 4. sumimus; ut Arist. in Categoria qualitatis duas species pro unico genere posuit. Nam ut ille habitum & dispositionem. sic nos causas & effecta pro unico genere collocamus. Sumimus autem initium à causis; quoniam in omni rerum cogitatione & consideratione cause primæ occurrunt, tum effecta his respondent, & reliqua deinceps eo ordine, qui maximè naturalis & idoneus uisus est, explicatur. Præterea definitiones à causis sumuntur, & in docendo ea præcedunt, quorum cognitio naturalis prior est, ratione consequenti, & seipsa contenta: ea uerò sequuntur quæ naturalis posteriora sunt, & quæ ex antecedentibus quodammodo nascuntur, & intelligentiæ suæ lucem capiunt. Cause uerò Oratoriarum probationum principes & primæ sunt, ab his iure principium huius doctrinæ ducitur. Nec uerò sequitur si in longioris disputationis artificiosa collocazione & methodo, à definitione rei, de qua agitur, ordiendum sit, ut in doctrina argumentorum, doctrina definitionis præcedere debeat. Definitio

enim



enim si perfecta sit, oritur ex causis & effectis. & e.  
nec quisquā definitione utitur, qui non utatur cau-  
sis, aut certè primis argumentis. At contrā primis  
argumentis sine definitione uti possumus. Vnde con-  
stat causas natura priores esse definitione. Causæ  
igitur ante cetera argumenta doceantur.

### Cap. 3. de causis.

7 **C**AUSSA est unde effectus aliquis existit. Sunt  
autem causarum formæ quatuor; nempe effi-  
ciens, finis, materia, & forma. M. VeltKirchius in  
commentariolo, quo Erasmi Roterodami libellū de  
copia rerum illustravit, 12. uulgas causas diui-  
siones Oratori necessarias esse credit, sed nullum ad-  
fert argumentū probabile, quo id nobis persuadeat.  
Quare has quatuor tantum explicemus; reliquas  
aut Physico, aut primæ Philosophiæ interpreti re-  
linquamus.

### DE EFFICIENTE.

8 **E**fficiens est, quæ sua ui rem efficit. Efficientium  
uerò aliæ natura agunt, aliæ consilio & delectu.

Natura agunt & necessitate quadam, illa quæ iu-  
dicio carent, ut Sol, ignis, herba, gemmæ: atq; horum  
quædam naturæ conatu agunt, quædam externa ui.  
Naturæ conatu ea, quorum in ipsis agendi princi-  
pium est, nullo externo adiuuante: ut ignis urit na-  
turalis caloris ui: externo impulsu agunt ea, quibus ab  
alio uis agendi est impressa; ut aqua feruens calefa-  
cit, uerum non sua sed ignis ui, à quo hæc calorē ac-  
cipit. Sic tormenta bellica alieno impulsu, lapides,

aut globos æneos iaculari solent.

¶ Dialecticorum est ille locus communis: efficien-  
tem causam naturalem, necessariam, non impeditā,  
necessariò sequitur effectus; qui ea sublata, necessa-  
riò tollitur. Ut si ignis non est, non potest non ure-  
re, modò sit admota materia. Efficientes consilio sunt  
Deus, Angeli, homines; & uariè diuiduntur, nem-  
pe in

Quibus libe-  
rū est agere,  
vel nō agere.

Procreantes,  
Conseruantes,  
Efficientes solas,  
Efficientes cum alijs.

Hoc est, cum ministris, adiuuantibus, instrumen-  
tis, quæ uulgò concausæ dicuntur. Vocantur etiam  
omnes hæ causæ efficientes per se; aliæ uerò per ac-  
cidens: ut,

Necessitas,  
Casus,  
Fortuna.

Procreantes uocantur patres, matres, opifices:  
conseruantes uerò quæ rem tuentur; ut leges sunt  
causæ conseruantes Remp. Locus communis Diale-  
cticorum hic est. Posita causæ uoluntaria poni po-  
test & effectus, qui ea remota tollitur: ut si sutor est,  
consui calceus potest; si deest, non potest. Si doctrinā  
expetis, docti auctores legendi sunt, & docti præce-  
ptores audiendi. Ad efficientē causam reuocari po-  
test occasio; ut gladium irato præbuit, cædis igitur  
est autor. Venenum porrexit, occidit igitur. Refutā-  
tur argumenta, si ex causis non necessarijs concluda-

tur effectus; ut pluit, quoniam spirat auster. Oratores ad efficientem causam reuocant argumenta ab honesto, utili, necessario, possibili, &c. Sed præcipue in statu coniecturali spectari solet efficiens consilio, cum quaeritur an uoluerit, an potuerit?

10

Observandum est hoc studioso ad causarum naturam cognoscendam. 1. idem quod est causa, interdum etiam est effectus; & quod est forma, est efficiens: sed diuersa ratione, ut anima est forma hominis, efficiens actionum uitaliu, finis generationis humanæ. 2. eiusdem effectus plures sunt causæ; quarum aliæ propinquæ, aliæ remotæ. 3. eadem causæ reddit contrarios effectus, diuersa tamen ratione; ut Sol indurat lutum, & liquefacit ceram. 4. secundæ causæ nõ agunt sine prima.

Prima copiarum rerum exercitatio.

11

Copia rerum est artificiosa facultas cuiuslibet naturæ argumenti uel rei explicandæ, uariandæ, & augendæ.

Postea quàm Orator efficientes causas ad suam sententiam cõfirmandam scrutatus est, tum demum enumeratione multarum causarum efficientium, copiosam orationem efficit, & auditorem uel inuitum trahit, quoties rem nõ nudam exponit, sed altiùs etiam causas repetit, à quibus initijs sit profecta, ueluti si cui non satis sit dixisse fugatum esse Sarracenum ab Hispano, uerùm etiam addat

Quæ fuerint simultatis causæ,

Quis instigator,

Quæ suscipiendi belli occasio,

Quæ uincendi spes,

Quæ utriusq; fiducia.

Exemplum Poeticum Martialis.

Vitam quæ faciunt beatiorem. &c.

Nos ut auditores nostros commodius ad præcepta intelligenda, & intellecta semel ad usum & calami reuocanda excitare possimus, exemplum, quo timidum quendam in nostra Comœdia Thalassina securitatis efficientes causas exquirentem fecimus, adferemus. Acta est Comœdia Calē. Febr. 1564. Valētiæ.

Exemplum nostrum.

Quid faciam? quò me uertam? Si qua ærumnis meis, aut calamitatibus inter amicos occurrunt auxilia, quæ aduersis rebus per fugium, afflictis solatiū, oppressis remediū aliquod præbeant, ea nunc rogo crudelissimos defendant impetus, illicitas propulsent iniurias, opē & salutē ferant. Faveant proceri gigantes, uoraces antropophagi, cyclopes, desormes phœcæ, horrēdi manes, lamie, nocturni lemures. Hanc ueræ innocētiae causā tueantur Dryades, Oreades, Naiades, Pan, tota q̄; satyrorū turba bicornis, di, de x̄q; omnes, rerūq; pater Oceane, æquū prospicite. Solue me Iupiter catenas immeritò huic tenui corpusculo additas agnoscis, si quis est insanus uentorū stridor, si qua uis procellarū, grauis fragor turbinis, si quis tubarū clangor, si qui Bacchei ululatus, Saliorū, Corybātū motus hoc æuo reperiātur. statim uno impetu cōfluāt, quo hosce hostes meos deterreāt, & territōs tādē possint repellere, fugare, & inuitos auertere; quotquot sūt scrobes & spelūcæ, emissaria omnia nubilū, indigestūq; chaos, montiū uertices, dēsa uirgulta, nūc nūc me pro uallo & aggeribus obducāt, ne ampliūs hisce uinculis inuoluar, ab hisce hostibus infester,

DE FINE.

12 *Finis est, cuius gratia aliquid fit. Est autē hoc nomen translatum à terminis, quibus res concluduntur. Ad finem enim cause reliquæ referuntur, & unaquæq; res suo fine comprehenditur. Sic beatam vitam Philosophi finem bonorum appellant, quò omnia consilia & rectè facta hominum referri debeant; est autem duplex; summus & destinatus.*

13 *Summus seu perfectus & ultimus est, qui per se expetitur: qualis est cuiusq; rei status in suo genere optimus, ut hominis est mente & consilio, rationeq; maximè præditum esse, & felicitas, seu beata vita. Equi ferocem esse; ignis maximè calidum esse & siccum. Aquæ maximè humidam & frigidam. Terræ herbis & alijs rebus ornari; studiorum finis eruditio; & rerum de diuinis & humanis rebus iudiciū; belli pax & concordia. Nam tum bellum perfectum est, cum parata est victoria; ideo Græcè τελος, quòd rerum perfectio adeptione finis constet; & domus perfecta est cum habitatur, à τελω, id est, perficio.*

14 *Destinatus est qui ad supremum consequendū comparatur, ut cibus, potus, uestitus, opes ad tuendam vitam. Belli fuga, hostium victoria. Destinatorum alij alijs priores sunt, & aliorum gratia facti: ut calx & lapides parietis causa, hæc domus domus habitationis. Dialectici argumenta sumunt à fine ad destinatum, & à destinato ad finem. Locus communis. Cuius rei finis est bonus, ipsa quoq; bona est, & contrà. Vt uirtus bona, quoniam bona est beata vita. Si malum est adulterium, sollicitare nuptas malum est. Si gladium ferre licet, licebit & vitam tueri.*

Hūc pertinet locus ab usu; ut cū sit utilis nauigatio, utilis etiam nauis est. Caue ne argumentum ab abusu sumas, nam ineptum erit si dicas, malum uinū quoniam homines ebrios reddit.

### Secunda variandi ratio.

**I**ntegrum est studioso ad illustrandam Orationem uarios fines destinatos coniungere, ut extremus finis uehementius urgeat; ut facit Cicero pro Ligario. Quid enim Tubero. &c. pag. 279. l. m. 31.

Martial. li 5  
refellēdo cōfē  
ly sine Sextus  
deserret ne Ro  
mā proficiscā.

Exemplum nostrum, in quo urbs quædam Hispaniæ in tumultu, aut seditione uulgò Germania appellata, ciues suos alloquitur.

Cicer. 2. de finib. ut ad cursum equū, ad arandū bouē

Commoueor equidem uehementer auditores charissimi, quotiescūq; naturam ipsam benignam matrem larga manu uobis raras corporis et animi doctes tribuentem contemplor: deinde uos ingrato animo tanquam priuignos ipsi reluctantes aspicio. Illa uos non solum celeritate mentis ornauit, sed etiā sensus tanquam satellites attribuit ac nuntios, figuram corporis habilem, et aptam ingenio humano dedit, uocem canoram, et placidè tinnientem, os et brachia ad osculum et amplexus, quibus facile amicitia comparetur, et cū cæteros animantes abiecerit ad pastum, solos uos erexit ad celiq; quasi cognationis, domicilijq; pristini conspectum excitauit, uos audacter hisce omnibus neglectis, ferarum more beluinas pugnas exercetis; ego misera, quæ uos muro, tectis, et fortissimis parietibus complexa sum, ut ab

iniuria cæli, à seuitia belluarum, ab eruptionibus Sarracenorū defenderem, uideo nunc mœsta induere arma, capere hastas, equos conscendere, sinistras sagis inuoluere, gladios distringere, ac multis illatis & acceptis uulneribus, bonum quemq; ciuē, & pro patria impigre pugnantem, interficere. Proh dolor clamore militum, tympanorum, tubarumq; sonitu, fragore tormentorum, pulueris bombardici nube, armorum strepitu, mentes omnium ciuium meorū adeò attonitas, confusasq; hisce diebus uidi, ut cuncti promiscuē cæci furore, & uecordi audacia proruentes, cum nec uoces Tesseraq; dignosci, nec uideri signa, nec ducum imperia exaudiri possent, magnam stragem per mutuum errorem ediderint. &c.

Reliquas caussarum species, nempe materiam & formam, absq; ullis exemplis adferemus: quoniā hæ duæ rarò absq; adiunctis ad locupletandam Orationem assumuntur.

#### DE FORMA.

**F**orma, est caussa per quā unaquæq; res est id quod est, & à cæteris rebus distinguitur. Vocatur à Grecis μορφή uniuscuiusq; rei species, & tāquam propria & naturalis nota. Formæ officia duo sunt; primum, ut rem informet, & sic in natura tueatur, ut ea sublata prorsus natura immutetur. Secundum, ut rem cuius est forma à reliquis rebus distinguat. Sic Aristotel. proprietatem essentiae & differentiae ei in Topicis tribuit; omnia enim præcipuē sua forma differunt. Sic forma hominis est anima rationalis. Hæc enim caussa est, cur homo sit homo, & à cæteris rebus differat. Sic rebus naturalibus omni-

Hoc argumētum  
re Ouidio de  
scribit Chaos

bus sua forma est; ut leoni, equo, arbori, celo: sic artificiosis rebus; ut domui, naui: sic etiã incorporeis, ut calori, uirtuti, uitio sua forma est. Hęc sola e causis suo effectui est congenita: itaq; si forma fit, & formatum esse necesse est; & contra: ut Dialectici colligunt, posita forma, consequitur uis & facultas rei, ipsaq; res ponitur: quę omnia remota forma tolluntur; ut celũ uoluitur, quoniã rotundum est; cum Dædalus alatus non fuerit, profectò subuolare non potuit; non sapiunt bestię, quoniam sunt mente & ratione destitutę; matrimonium non est, quoniam defuit legitima & consensu inita societas. At uerò formarũ cognitio in unoquoq; perdifficilis est, homini perobscura: ac si uideantur tamẽ sunt sine nomine, ut sua forma, manum, annulum, gladium uides. Et tamẽ harũ rerũ formam unãquãq; suo nomine appellare non potis; imò uerò longa circuitione uerborũ quemadmodũ cognitio formarũ scientiam perfectã, & absolutam efficit, ita homini perdifficilis est. Ideo Timæus Platonic. ait, per paucos homines uerę intelligentię esse participes; & Democritus Αἴτιον δὲ ἐστὶν ἰσμεν, ἢ καὶ τὰ ἄλλα. communicatione & definitione intelligemus esse rerũ formas: at quid singularis & unãquãq; forma sit, ut leonis, equi, arboris ab hominib. ignoratur, etsi cognoscitur ut corporis humani, ut nauis, uix multis rebus collectis exprimitur.

## DE MATERIA.

17 Materia est causa, ex qua res fit: uel materia est causa, ex qua res uel naturalis, uel artificiosa componitur: ut homo ex corpore & animo; statua ex

Virgilius tartarũ a materia describit: Porta aduersa inq; es. d. m. a. t. e. colũ



auro uel ære. Dialectici & Oratores aientia & negantia argumenta ab ipsa materia plerunq; sumūt. ut si nubes apparent, pluuia fieri possunt; si pannus est, uestis parari potest; si nulla sit farina, panis fieri nequit. Locus communis: materia posita, cōsequi effectus potest; sed ea sublata, necessario tollitur materie permanentis effectus: ut, non est hoc argentū, nec statua igitur argentea; idq; per tempus presens. In transeunte falsum est; ut farina non fuit, uel farina non est, panis cū sit: dicendum; farina non fuit, uel farina non est, panis igitur fieri non potuit.

Cæterum permanēs materia uocatur, quæ in priorem materiam redire potest: ut domus constructa ex lapidibus, lignis, & calce. Transiens, seu mutabilis est, si ex farina & aqua panis fiat; si ex melle & uino mulsum. Hæc enim in priorem materiam redire non possunt. Materiam & formam non raro partes appellamus, quod hæc initia sint & elementa, quibus uniuscuiusq; substantia componitur.

Atq; hæc de causis; si quis plura desiderat, legat Ioannem Argenterium Medicum, & Iacobum Acotium Tridentinum. Nobis sat est, hæc paucula obseruasse, qui non Philosophū, sed Oratorem potius informamus.

### Cap. 4. de effectis.

19 **E**ffectum est quicquid è causis existit. Vocatur à Cicerone effectū, effectus; euentum, euentus. Idem nomen propriè ad efficiētes causas refertur: aliqua tamen ratione cum cæteris etiā causis comparatur.

comparatur. Nam & finis alliciendo, & forma rei naturam constituendo, & materia patiendo etiam ad effectum adhibetur. Itaque effecta de omnibus causis existere possunt.

Nec uerò tantum in præteritis rebus effecta considerantur, sed etiam in his quas quis facit, aut facturus est. Vt cum disputatur, quid facturus fuerit Alexander Magnus si in Italiam uenisset: tum enim effecta Alexandri non præterita, sed futura memorantur.

De hoc loco, aut argumenti genere deducit præceptum illud Plato in Phædro, ut in omni re spectemus quid efficiat. Ad hoc argumentum referuntur laudes & uituperationes, quarum pleni sunt libri sacri & prophani, pleni annales, plena hominum uita. Huc referenda sunt dicta, scripta, consilia, deliberationes; etiam si omninò ad exitum perductæ non fuerint: ut autem causæ omnes rerum corporearum communes sunt, sic etiam effecta.

Euenta in uniuersum dicuntur quæ oriuntur ex causis; sed effectus propriè sunt qui causas efficientes consequuntur, ut fabri domus, sutoris calceus.

Posito effectu causam eius propriam uel adesse, uel adfuisse necesse est; at effectu sublato, causa tollitur. Vt quoniã dies est, Solem exortum esse dubium non est. Cauendum autem ne ab effectis improprijs argumenta ducantur. Quæ contingentia potius uideantur, quàm effecta: ut pallet, amat igitur; adolescens est, prodigus igitur.

Destinata, seu effecta causæ finalis; ut domus ha-

bitationi, Medicina sanitati, arma defensionis, hi fines destinati & cōferentes appellantur. Ut cūm gladiū portare liceat, profectō vim propulsare licebit, non autem inferre iniuriam. Si bellum gerendū est, neruus belli pecunia primū est quærenda.

Effectus materie dicitur opus ex materia cōpositum, ut gladius ferri effectus est; & panis tritici ab euentu materie permanentis aientia dicuntur argumenta ferreus est gladius, & ferrum igitur est ab euentu transeuntis; panis est, fuit igitur farina. Effectus forme, uel euctus est rei uel naturalis, uel fortuite facultas, & actio propria; ut hominis effectus est ridere, loqui, ratiocinari posse, lapidis deorsum cadere; arboris crescere; frondes, flores, fructum producere; candoris candidum reddere; ut si cādīdum est, & candor igitur; strationis expertes sunt Pygmæi, profectō homines non sunt. Apposito forme effectus, ponitur & forma; illo sublato, & hæc tollitur.

Tertia copie rerum exercitatio.

10 Coniungunt interdum Oratores uaria effectuum genera; ut causæ à quibus effectus oriuntur, illustriores appareant, & auditor excitetur. Sic Cicero in Sextiana, ut ostendat Pisonem & Gabinium totius cladis Romanæ causas, & autores esse, uarios & crudeles effectus recenset.

Paraphrasis nostra in Horatij uersus paulo liberior qua ebrietatis effectus ostenduntur.

Quid enim nō designat ebrietas? quid non efficit? hæc est que aperit arcana omnia, ebrium ipsum

pag 21. li. 15  
usque ad, Pa  
rūns est Piso.  
Ma. tal. Li-  
gurinū Poetā  
garrulū ex  
effectio deseri-  
bis.

ipsum ad extremum fatum perducens. Hæc est quæ  
 inani ac prorsus uana spe homines deludit; hæc mi-  
 litem ignauum omni armorum genere destitutum,  
 ad atrox & periculosum prælium perducit; hæc so-  
 licitudinē & curā rei gerendæ adimit; hæc in causa  
 est ut inepti & imperiti uino madidi, sibiipsis persua-  
 deant se disciplinarum omnium encyclopediā absq̃  
 ullo aut præceptore, aut labore fuisse cōsecutos. Ca-  
 lices autē generoso referti uino, & amystides Threia-  
 ciæ, quæ non efficient dissertum, & admiranda qua-  
 dam uerborum copia & ubertate insignem? Age da-  
 mus; ut facile agnoscant ebrij quantam sibi calami-  
 tatē breui, & fœda uoluptate comparent: sed quid  
 ago miser? ebrios uino sepultos uocē meā audituros  
 existimo? Nullius uocem audiūt, nullius admonitio-  
 nem intelligūt, nullius obiurgationis asperitatē sen-  
 tiunt. Nimirum quòd ut corpus mortui nullis pun-  
 ctis, sic ebrij animus nullis monitis excitari posse ui-  
 deatur. Nullum profectò in homine ebrio membrū  
 constat, omnia ab officio recedunt. Caput fœdis ex-  
 halationibus disrumpitur, cerebrum uertigine ten-  
 tatur, oculi torquētur, aures undoso spiritu crepāt,  
 lingua uacillat, sermo futilis est, oris halitus teter,  
 stomachus subuertitur, & reijcit putridam sabur-  
 ram, his accedit cordis palpitatio, manuum inepta,  
 & insana gesticulatio, pedum lubricus incertusq̃  
 gressus, inquietas nocturna, & turpes ronchi, furiales  
 somni, mentis excessus, alui ac uesicæ spurcissima  
 solutio, ut in hac eluuiæ miseri ebrij, tanquam  
 in cœno lutulentæ sues, persæpe uoluentur.

Adde

Adde his omnibus subitanam mortē, quæ plerunq;  
pulmones abstruente potu, consequitur.

## Cap. 5. de subiectis & adiunctis.

**S**ubiectū est, cui aliquid adiūgitur; ut ANIMA est subiectum sciētie, ignorātie, uirtutis, uitij; CORPVS magnitudinis, paruitatis, sanitatis, morbi, roboris, infirmitatis, pulchritudinis, deformitatis; HOMO diuitiarum, paupertatis, honoris, infamix, uestitus, comitatus; OCVS est subiectum rerum in eo sitarum; subiectum, seu obiectū uisus est COLOR; auditus SONVS; odoratus ODOR; gustatus SAVOR: quia sensus in sensibilibus occupatur. Virtutum & uitiorū subiecta cap. 7. Ethicorum explicantur.

### Usus Dialect.

Sublato subiecto mouentur tam adiacētia, quàm actus; qui omnino non sunt, ij ne miseri quidem esse possunt; non irascitur, quoniam felle caret; non pugnat cum gruibus Pignæi, qui nulli sunt. Posito subiecto tribuuntur etiam natia adiuncta, & actus; ut ignis est, calidus igitur; homo est, aptus igitur ad risum: dilui possunt si necessaria non sunt.

### Adiunctum est

22 Quod subiecto adiungitur; exempla habes supra ubi de subiectis egimus. Reuocanda autem huc sunt quæ uulgò

21  
Receptaculū  
adiunctorum  
δέκταικόν  
ύπερθε  
υου.  
Hec subiecta  
sensus efficiē  
tia uocatur  
à Lactantio,  
quonia sensū  
mouent. cap.  
9. de opificio  
Dei.

Adiacentia.

Verisimilia.

Antecedentia.

Consequentia.

} Appellantur.

Interdum etiam  $\&$  locus,  $\&$  tempus:  $\&$  circumstantia omnes adiuncta dicuntur.

Quarta locupletandi ratio, uel copiae rerum exercitatio.

23 Quoniam usus copiae in subiectis  $\&$  adiunctis idem est, nos subiecta  $\&$  adiuncta coniungimus; esse autem eundem usum ex eo colligo, quod si quando laudamus, aut uituperamus subiectum, id facimus enumeratione adiunctorum. Cicero in ea quae est pro Roscio Comoedo, iocatur in Cheream hominem fraudulentum, ab adiunctis colligens argumenta.

pag. 90. l. 30

Martialis.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus:  
Rem magnam praestas Zoile, si bonus es.

### Prosopographia Caroli quinti Caesaris ab adiunctis.

Erat eius uultus argenteo  $\&$  grato quodam pallore dilucidus, oculi caerulei, suaves, nulla acrisseueritate formidabiles,  $\&$  ij quidem ad ingenuum pudorem, uirilemque modestiam instituti. Nasus a medio clementer assurgebat: quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam Regibus ab antiquis fuit obser-

obseruatum: mentum erat ad exiguam uenustioris  
 iniuriam paulò prominentius, & quod grauitatis  
 speciem addebat, subcrispa & flauenti barba con-  
 uestitum; capillum uerò fulgore pallentis auri, more  
 Romanorum Cæsarum circumtonsum ostendebat.  
 Porrò statura corporis, ut in ipso ætatis integræ flo-  
 re, & prosperrima ualetudine, non ab inertis succo,  
 sed à ualido neruorum nexu longè firmissima; perã-  
 ple item, robustæq; manus ad stringendum ferrū ido-  
 neæ, crura autem uenustissimè extantibus toris, trū-  
 ci proportione directa, quod tum maximè appare-  
 bat, quum equo ueheretur. Tanta enim ei inerat cū  
 dignitate equitadi peritia, ut nullus eo armato, atq;  
 equum incitante, & in gyrum reflectente, uel pul-  
 chrior, uel uiuidior; uel in ferendo armorum ponde-  
 re patientior eques reperiri posse uideretur.

*Exemplum adiunctorum per cō-  
 uentionem demonstratiuam ex  
 nostra Comœdia Trebia-  
 na, acta in Acade-  
 mia Valentiniana.*

1567.

**V**ide quàm consideratus conuiciator existas,  
 cum ea obijcias, quæ cum falsa sunt; tum in te  
 iustius conuenire, quàm in eum cui obijcias, pos-  
 sunt.

sunt. Quis est enim, qui si nostrum utrumque uiderit, non ex ipso statim corporis habitu, me uni sobrieta-  
 ti seruire, te uni solùm abdomini natum esse existi-  
 met? cùm uentris illius tui magnitudinem & pingue-  
 dinem inauditam aspexerit, cùm palpebrarum nu-  
 tantium grauitatem, cùm oculorum somnum, oris  
 hiatum, faciei colorem, totius corporis motum adeò  
 difficilem, ut uix gradum sine summo sudore, & ue-  
 hementi respiratione conficiat? cùm intemperantem  
 illam belluationem tuam, & quotidianam illorum  
 immaniũ poculorum absorbtionẽ acceperit? quod  
 specimen ingenij, quam uirtutis indolem, quod argu-  
 mentum acuminis afferre possunt in mōstruoso ca-  
 pite isto tuo frons angusta, parui oculi, & eminen-  
 tes, uox Antronie pecudi conuenientior, quàm ho-  
 mini?

¶ Exemplum nostrum, quo letã na-  
 uigationem in nostra Comæ-  
 dia Sigonia descripsimus:  
 quæ acta fuit in Aca-  
 demia Valētina ca-  
 lēdis Maij. 1563.

Frat permixtũ lacrymis gaudiũ, dum hi Patriã  
 Hispaniã letitia exultãtes expetunt; illi fratres  
 abeuntes requirunt. Post mutuos ergo tum uxorũ,  
 tum liberorum, tum amicorũ complexus & oscula:

magna



magna celeritate omnes ad littus peruenerunt. Quis poterit ulla Oratione complecti omnia, quæ eo tempore oculis nostris occurrerant? Triremes, quadriremes, naues longas & actuarias; nunquam Neptunus ipse aut melius edificatas, aut instructius adornatas uiderat. Vexilla Caesaris elegantissime depicta huc atq; illuc uento agitata coruscabant. Ex omnibus nauigijs globi ænei, ferrei, & marmorei, tanto impetu & strepitu mittebantur; ut cœlum ipsum mugire & boare crederetur, tanto fragore, tanta concussione, tormenta bellica emissa tonabant, mariaq; cælo commiscebant, ut montes ipsos scopulos, & abruptas, quæ mari impendent rupes, uelut Iouis fulmine quassatas terra discedente, in abyssos sese abdere, & absorberi putares. Erat præterea non tam audire iucundum, quàm uidere gratum; cum tubas, lituos, buccinas, cornua classica, tibias, tympana bellicum quiddam resonantia; tum pugnas illas umbratiles nauium inter se concurrentium. Margines uero, littora, ripæ, tecta, fenestræ, loca omnia quæ in mare prospiciebant sic confertim erant stipata, & stipatim conferta ac plena spectantium, ut sese mutuo propemodum nimia compressione enecarent. Plena erant omnia gemitibus suspirijs lacrymis; dum sublatis ad sidera manibus, nobis oram soluentibus bene precantur, prosperamq; profectiorem ac reditum nuncupatis uotis exoptant.

Cap. 6. de oppositis, seu  
dissentaneis.

Opposita

24 **O**pposita sunt, quæ de eodem, secundum idē, & ad idem, & eodem modo, & eodem tēpore, dici & uerè affirmari non possunt. Sic Socrates albus & ater non potest eadem parte esse, pater & filius eiusdem, diues & pauper eodem modo, sanus & aeger eodem tempore; at albus esse potest alia parte, & ater alia; pater huius, filius illius; spe diues, re ipsa pauper: sanus hodie, cras aeger.

### Scholion.

Argumenta simplicia si consentiunt cum parte quæstionis, consentanea; alioqui dissentanea nominantur: ut si probes uirtutem esse expetendam, quia sit honesta; argumentum **HONESTA** consentit cū **VIRIUTE** parte antecedente quæstionis; quia uirtus & honesta de eadem re simul affirmari possunt. Dissentanea sunt quæ de eadem re singulari & indiuidua simul affirmari non possunt. Erit ergo dissentaneum argumentum alteri parti quæstionis, quando sic inter se pugnabunt, ut de quo alterum affirmatur, de eo alterum negetur. Ut si docere uelis hūc Aethiopem non esse album, quòd sit niger; argumētum **NIGER** dissentaneum est albo parti alteri quæstionis. Quoniam igitur niger de hoc Aethiopo affirmatur, de eodem albus negetur oportet.

Opposita sua natura sunt inter se æquè nota, at tamen alterum alteri oppositum clariùs elucescit. Quanquam enim ad rem accuratè demonstrandam oppositum non multum ualet; ualet tamen ad re-

παράλληλα τὰ ἐναντιὰ μὲν ἴσα φαίνεται.

Axioma cele  
bratū. 2. (t)  
17. c. 3. rheso.

Plato Alci-  
biade. 2.

ἡμεῖς δ' ὄνο

μα ἔπει

ναυτῖα ἐνί

περὶ γυμνα

σι πῶς οὐ

ἔκκ, ἀλλ' ὁ

δραμῶς.

Duo uni rei

contraria esse

quōs possunt?

Nulla modo.

fellendum quidpiam, & ex alterius oppositione dili-  
gentius considerandum.

Opposita sunt } Contraria.  
                          } Repugnantia.

Contraria sunt opposita, quæ plurimum differunt  
unum ab uno. Ut bonum à malo; pater à filio; uidēs  
à cæco; iustum à non iusto.

Aristote. in Categorijs quadripartitam contra-  
riorum diuisionem facit. Sed commodius & facilius  
res ipsa percipietur, si primum duo genera propo-  
nantur, deinde singulis suæ species subiiciantur; tum  
enim illustrior & clarior existet doctrinæ ratio.

Contraria igitur sunt } Affirmata.  
                                  } Negata.

Affirmata item duorum generum } Relata.  
  } Aduersa.

25 Relata, sunt contraria affirmata, quorum esse  
tia mutua est: ut pater, qui filium habet; & filius,  
qui patrem habet. Horum proprium est sese mutuò,  
& uicissim definire; ut pater, filij pater; filius, patris  
filius: quod alijs contrariorum generibus non simul  
conuenit; nō enim bonum dicimus mali bonum, aut  
contrà; nec bonum, nō boni bonum. Propriū etiam  
est simul natura esse. Nam simul atq; pater est, filiū  
habet; si filius obierit, patris qualitas iam perit;  
quod in cæteris oppositis nequaquam est: nec enim

eorum

eorum essentia simul & oritur, & interit, quanquā eorum notitia sit æqualis, & simul natura. Itaq; si quis relatorum alterum nouerit definite, & reliquū definite nouerit. Relata nomine relationis nullam disensionem faciunt, sed consensionem potius; opposita tamen efficiunt. Nam cum patris qualitas quædam tibi occurrerit, protinus in hac relationis specie filius oppositus occurret. Sum tuus pater, nō igitur tuus filius; sum tuus dominus, non igitur tuus seruus. Ex hac ergo qualitate relata sunt opposita. Relata sic opposita sunt, ut medium tamē habere possint. Nam inter patrem & filium medius est, cui nec pater, nec filius uiuit; inter dominum & seruum liber. Illud autem medium relatis extremis, relatū nō est; imò uerò ne contrariū quidē illis est. Nā medius inter patrem & filiū, nec patri, nec filio opponitur.

26 Aduersa sunt contraria affirmata, quorum essentia distincta est, ut candor & nigror: candor est color disgregans uisum, nigror est color congregans uisum. Hæc Cicero uocat aduersa; sed in scholis contraria dicuntur. Addo in definitione affirmata; ut distinguantur à priuantibus, & contradicentibus. Apponitur præterea, quorum essentia distincta est, ut à relatis separentur, quorum essentia est mutua. Candor igitur & nigror aduersa sunt, quia utrumq; est affirmatum; & alterum non comprehenditur in alterius essentia, id est, alterum in alterius definitionem adhibetur. Ut pater in essentia filij, sic bonum, & malum; calidum, & frigidum; uirtus, & uitium opponuntur. Hoc genere oppositionis,

Galeni. inter  
sanū & egrū  
mediū statuitur

Immediata  
vulg. vocat  
ut sapientia,  
stultitia

segritudine

Quorū unū  
id quod reue  
rā est, signifi  
cat: alterum  
eius privatio  
nem, ut aspe  
ctus cecitas  
humanitas in  
his. et quæcūq;  
infantia. Ha  
bitus rei præ  
sentia, seu a  
doptio est pri  
uatis eius sicut  
absentia, seu  
rei quæ deesse  
potuit amissi  
o, siue quam  
natura ad se  
se voluit, itaq;  
tēpore statu  
to. neque eū  
vel casibus  
aspectu, vel  
per accidens  
antequā per  
statū habere  
posset, caret.

unum dūtaxat uni oppositum esse potest. Atq; hæc  
habent medium; ut album & nigrum, quibus medius  
est rufus; uel carent medio; ut sanum & egrum, li  
bertas & seruitus.

Contraria negata sunt, quorum alterum conti  
net alterius negationem; & sunt

Privantia, aut Contradictoria.

27 Privantia sunt contraria negata; quorum alte  
rum est habitus; alterum habitus privatio; ut visus,  
cecitas; pauper, & diues: pauper est privatio, diues  
habitus. Hæc medio carent si alterum insit à natu  
ra; ut mors & uita nihil habent in his rebus, quæ  
uitæ participes esse possunt. Itaq; ex unius affirma  
tione alterius negatio, aut contrā concluditur; &  
hæc opposita de re singulari, cui alterum possit at  
tribui; uerum & falsum semper diuidunt; ut Socra  
tes mortuus est, non igitur uiuit.

28 Contradictoria sunt contraria negata; quorū  
alterum ait, alterum negat omnino idem; ut iustus,  
non iustus. Neq; hinc affirmatio, aut negatio sunt cer  
ti generis propriae ut in priuantibus; sed communes  
omnium: quamuis enim privatio intelligatur per  
negationem habitus, aliud tamen est privatio, aliud  
negatio.

Illā certi cuiusdam generis, & subiecti propria  
est, & tantum significat aliquid non inesse in re, in  
quā natura inesse possit.

Hæc communiter significat quicquid non est in  
re affirmata.

Itaq; negatio latius patet quā privatio: solum  
entim

enim animal particeps uisus, potest dici cecū, quando priuatur naturali facultate uidendi. At uerò nō solum animal dicitur non uidens, sed domus, sed uestis, sed res aliæ infinitæ. Quare hæc negatio non uidens, non respicit certum aliquod & proprium subiectum; at priuatio hæc, cecum esse, circa proprium & certum subiectum uersatur.

In Categ. ca.  
decimo de  
ατω φασ  
Talen. 71.

Contradicentia ubiq; carēt medio; semper enim alterum uerum, alterum falsum est.

29 Repugnantia definitione tantum explicatur, & exemplis: partitionem nullam capiunt. Sunt ergo opposita non maximè differentia unum ab uno: sed unum à pluribus; ut homo, arbor, lapis. Duorum autem contrariorum interdum aliquid medium est; nec tamen ijs est contrarium, sed repugnans: ut uiride, cinericium, rubrum, media sunt inter albū & nigrum, quæ singula extremis & inter se repugnantia sunt.

Priuantium unum interitus est alterius: ut si bonum est patria, miserum est exilium; si tenebræ sunt, lumen abest. Si eloquentia laudabilis est, uituperanda infantia.

### Quinta copiae rerum exercitatio.

30 **E** Numeratione aduersorum, priuantium, & cōtradicientium, non solum fidem facimus, sed etiam locupletamus Orationem; ut Cicero in prima Tusculana: Si ergo apud inferos miserum.

f. n. u.

Catullus iratus Furio Pisauensi paupertatē illius falsissimo, iucundissimoq; uersu oppositorum enumeratione insectatur.

Furi, cui neq; seruus est, neq; arca, &c.  
Et Egnatium cum ait;

Egnatius, quod cādidos habet dētes, renidet. &c.

Exemplum nostrum, in quo ostendimus ex oppositis, qua ratione Doctor Theologus publicē interpretaturus diui Matthæi sacrosanctum Euangelium, possit discipulos suos ad tantum auctorem intelligendum & ediscendum commouere.

Libri extant, auditores charissimi, nostro seculo à maioribus relictī, tum sacri, tum profani; ex quibus, si modò libeat diligenter eos scrutari, possimus omnia bona & felicitatis thesauros colligere. Sed inter omnes scriptores, qui uilius, uberius, commodius diuo Matthæo scripserit, repertus est nemo. De alijs libris sacris nihil dicam, quoniam illi tum demum laudantur, & ab Ecclesia Romana sacratissimi iudicantur, cum ad hunc sacri Euangelij librum proximē accedunt. De alijs, qui ab Arist. Platone, M. Tull. & similibus scripti sunt differamus paulisper: ut illorum tenebræ, caligo, confusio, inopia: huius splendor, lux, perspicuitas, & diuitiæ cognoscantur. Libri profani, aut ethnici, de humanis artibus, & opificijs, de prudentia, aut publica, aut priuata uerba faciunt. Hic de immortalitate, ac bonis æternis; unde non immeritò sacrum Euangelium à Græcis

eis & Latinis appellatur. Libri Ethnici nunciant uenire ad imperium, ad regnum, ad opes, ad potentiam mundi huius fragilis & incerti, ad epulas, ludos, uoluptates, decus, laudem, rigidam atq; inanem uirtutis umbram; ad terram fluentem lacte & melle; ad puellas formosissimas, & quotidiana conuiuia. Euangelium uerò, celeres atq; expeditos ad amandū Deum, ut cum illo ad æternitatem iungamur, unde beatitudo inæstimabilis existet. Pythagoras, & Parmenid. atq; hos secutus Plato, si quid sibi de diuinis, uel abstrusis in natura rebus uiderentur exculpississe, occultabant sedulò; uel si literis mandarent, obue labant uerbis raris, exquisitis, obscuris. Plato myste riola quædam sacra Dionysio explicans, addit hæc uerba: Cane ne hæc epistola ueniat in manus indignorū. At Euangel. Matthæi facile, dilucidū, apertū omnibus traditū est; nulla ab eo ætas excluditur, aut repellitur; nullus sexus, natio, conditio, ideoq; catholicum nuncupatur. Libri ueterum admirabili splendore uerborū, & copia, lectorē detinent, sed addita uel mediocri diligentia, sedulus lector agnoscit artificium, & anilia figmēta contemnit. At in Euāgelio quanquam ea est facilitas, quæ apta sit omniū ingenijs, & narrationes simplices, similia & exēpla sumpta de rebus notissimis, tamen in hac ipsa facilitate & simplicitate tā utili, tā congruēti quibuslibet, magna occultantur mysteria, quæ diutissimè exercere possint magna atq; sublimia ingenia, ac pascere bona & religioni dedita. Nullū enim est in Euāgel. uerbum, quo nō tegatur grāde aliquod & admirabile arcanū. &c.



Cap. 5. de Comparatione, aut, ut  
vulgus vocat, de comparatis.

31 **A**rgumenta simplicia in tribus generibus cōsiderata sunt; quorum primum fuit in causis, & effectis; alterum in subiectis & adiūctis; tertium in oppositis: quorum omnium consideratio simplex est. Sed in cōparatis res non spectantur simpliciter, ut antea; sed per collationem quantitatis & qualitatis. Itaque superiora illa argumenta interdum comparata sunt, cum eorum quantitas, aut qualitas cum alia re comparatur; nec argumentorum genera re ipsa, sed ratione dumtaxat & genere translationis differunt, cum praesertim una & eadē res modò causa, modò subiectum esse possit. Comparata sunt quae inter se conferuntur. *συμβλητικὰ* cap. 13 lib. 1. Topicorum uocantur *comparatio* *σὺμβλητικὴ* cap. 4. lib. 1. & cap. 4. lib. 3. Topicorum.

32 In cōparatis duo intelliguntur; res de qua agitur, & quae ei comparatur *πρότασις* & *ἀπόδοσις* propositio, & redditio dicuntur. Sed usus uariis; modò enim argumentum proponitur, modò res redditur, modò contrà, ut in exemplis perspicias. Comparata circa quantitatem, uel qualitatem uersantur. Quamquam autem in Categorijs Aristoteles quantitatem tantum modò statuit in numero, & magnitudine; idē tamen capit. 2. lib. 4. & cap. 3. lib. 1. *Prime Philo* sophie ait quantitatem esse in omni entium genere, quae res sint aequales, uel inaequales. Est igitur quāti-  
tas par,

tas par, uel impar.

33 Paria sunt, quorum est una & eadem quantitas, uel quæ neq; maiora sunt, neq; minora. Argumentum igitur pars erit, cum par explicatur à pari.

Id fieri solet his notis.

Par,	Idem,	Non magis.
Aequale,	Tantum quantum,	Non minus.
Aequare,	Tanto quanto.	

Par leuib. v.  
 is. 2, Aeneid.  
 Paria agna  
 sco esse in L.  
 Murana 3.  
 Aene. Ecnōo  
 equali teste  
 p̄besiet am.  
 4. ca. 3. Top.  
 3. ca. 2. Top.

Aliquando nulla harum notarū præponitur. Te-  
 rentius Adelphis; Quando ego non curō tuum, ne  
 cura meum.

Comparatio parium, seu definitio, illustratur a-  
 xiomate Topico & Aristoteleo, cap. 4. secundi To-  
 pic. Parium, inquit, si alterum non inest, neq; reli-  
 quum: si uerò alterum, & reliquum. Ideoq; ualet hic  
 locus ἂς ἀμφότερα, ad affirmandum & negandum.

Aliquando ex oppositis par efficitur ratio; quæ  
 in relatis & priuantibus certa est; interdum: etiam  
 in aduersis. Pater est filij dominus, filius igitur est pa-  
 tris seruus. Visus est habitus sensus, cecitas igitur est  
 priuatio sensus. Dixi in aduersis aliquando certam  
 esse, non perpetuam & catholicam; quoniam uitio-  
 se concluditur, si dicis: candor est iucundus, ergo ni-  
 gror est iniucundus. Homo est animal; ergo non ho-  
 mo est non animal.

34 Comparatum impar est duplex, maius, aut mi-  
 nus. Maius est quando quod esse minus difficile est,  
 explicatur per id, quod esse difficilius est. Ut Miles

potuit expugnare urbem; ergo & exercitus poterit:  
 proprie notæ huius comparationis sunt; ut  
 non solum  
 sed etiam,  
 cum, tum,  
 malo hoc, quam illud.

Sæpe sine ulla harum notarum hoc argumentum  
 tractatur. Ut pro Muræna: noli tam esse iniustus, ut  
 cum tui fontes u. inim. tuis p. n. riuulos. &c.

Virg. I. Aen.

O socij, neq; n. ignari. s. a. malor.

O passi grauiora d. d. b. q. f.

Vos grauiora mala passi estis, leuia igitur facile  
 patiemini.

Virg. Aeclog.

Comparatum minus est, quando quod esse diffici-  
 lius est, explicatur per id, quod esse facilius est: ut  
 Ante leues ergo pascentur in æthere cerui. &c. hic  
 minus adhibetur ad maioris explicationem.

ss Comparatio in qualitate, est similitum, aut dissi-  
 milium. Similia sunt quorum qualitas est una. Simi-  
 litudo uerò planè & euidenter expressa duas habet  
 partes, Protasim, & Apodasim.

Notæ protaseos sunt

Quemadmodum

Ut

Sicut

Veluti

Apodaseos

sic

ita

non secus

non aliter

eodem modo.

Hæ fictæ similitudines populares sunt, attamen  
 exempla rerum factarum cōmodiora iudicat Arist.  
 2. Rhetoric. Hæc autem referenda esse exempla quis  
 igno

ignorat? Agemus ergo de ratione locupletandi Ora-  
tionem per

Exempla,  
Parabolas,  
& Apologos.

Sed prius dissimilium naturam ostendemus, ut ca-  
put hoc de comparatis absoluamus.

36 Dissimilia sunt, quorum qualitas est diuersæ  
appellantur etiam differentia, ut dissimilitudo &  
differentia pro eodem usurpantur. Sunt autem no-  
tæ dissimilium

Quanquam, tamen, non;  
Sed dissimile, diuersum,  
Differens, non idem:

Itemq; contra, & similia notæ per negationem  
propositæ; non quemadmodum, non talis, non sicut.  
Cicer. i. epist. ad fratrem; Sit annulus tuus non tan-  
quam uas aliquod, sed tanquam ipse tu. Sunt præte-  
rea multi comparationis huius modi. ut Martial. li.  
5. ad Calistratum; Sum, fateor, semperq; fui. &c. In-  
terdum nulla nota adhibetur, quæ dissimilium colla-  
tionem significet, ut est illud Catulli: Soles occidere,  
& redire. p. &c.

Obseruandum uerò, de usu comparatorum hanc  
esse eruditorum sententiam; nempe comparationem  
quantitatis plus ad commouendum; qualitatis plus  
ad docendum & illustrandum ualere.

A dissentaneis autem dissimilia quomodo distin-  
guatur, si quis non satis animaduertit, definitiones  
comparat, ut clarius intelligat: dissentanea enim re,

Antithet. hic  
traditurus e-  
rã, sed adeò  
inualui error  
quorũd. rhet.  
ut cogat ea  
ad elocutionẽ  
rejicere.

& Ta=

et ratione disſident, nec ſimul eſſe poſſunt: diſſimilia ſatis habent ſi ratione diſtinguantur, reipſa diſſideant, necne, nihil intereſt; candidus eſt, non igitur niger, diſſentanea ſunt; quia alterum ab altero non diſtinguitur ſolū, ſed etiam tollitur. At cū Virg. 2. Aeclog. dixit; Quamuis ille niger, q. t. c. eſſes: diſſimilia ſunt; quia qualitas diuerſa, ratioq; dumtaxat cōſyderatur: ut res ab altera diſtingui poſſit, non etiā tolli.

*Sexta copiae rerum  
exercitatio.*

37 Longum eſſet amice Lector, ſi parium, imparium, maiorum, minorum, ſimilium, et diſſimilium exempla proponerem. Sat erit tibi oſtendere quonam modo Cicero et Virgilius uarijs ſimilibus, aut diſſimilibus, Orationem copioſam, et omni rerū ueritate amplificatam efficiant.

Exemplum Ciceronis ex lib. 1. de Inventionem, in quo Aſpasia ex duobus ſimilibus tertium ſimile concludit.

Dic mihi quaſo Xenophontis uxor, ſi uicina tua melius habeat aurum. et c. Virgilius. 2. Aeneid. In ſomnis ecce ante oculos. et c.

Exemplum noſtrum, quo nobilem Hiſpanum in epiſtola quadam ad præceptorem noſtrum Nicolaum Bieſium, uel Sciſpū Flan-  
driam depingimus.

Vidiſſes planè præceptor optime admirandā me-  
tamorpho

tamorphosin. Vtinã quæ sentio possem uerbis significans exprimere, ut candidi flores ligustrorum statim cadunt, & pereunt, hyacinthi purpurei leguntur; sic candor formæ iuuenilis breuis, & propè momentaneus ab illo Patricio amico tuo discedens intra dies octo hoc efficit, ut Phœbus ille *ὄψις ἰονίως* Homericus uideretur, & uicini omnes, qui illum antea alacrem & formosissimum agnouerant, tam re-  
 pentina mutatione sordidum, & deformem factum, admirentur. Nudiustertius illum uidi lugubri indutum ueste, capilloq; in sacerdotis morem circumtonso, oculis deiectis, atq; animo ad diuinarum rerum contemplationem penitus abstracto; sic ut humanis omnibus curis, ipsisq; pariter uoluptatibus, quibus antea luxuriosè studuerat, renuntiasse uideretur. Vtinam quod cœpit, constanter absoluat. &c.

*Septima copiæ rerum  
 exercitatio.*

**Q**uoniam diximus exempla ad locum similiū reuocari; par erit, ut rationem tractandi exempla commonstremus. Adhibentur ergo exempla ad aliquid probandum, ad laudes, consolationem, uituperationē, ad animos permouendos, & similia. Horum igitur, ut uim quàm maximam, maximeq; uariam comparare, & in promptu habere conuenit, ita uariè tractare oportet.

Augentur ergo laude rei, autoris, gentis unde sumuntur: ut si Cantabricum factum, aut dictum adhibeas, præfari poteris, eam gētem sapientia & rei militaris

taris ac ciuilibus disciplina cæteris antecelluisse, & exemplis pulcherrimis semper abundasse. Aut si exemplum ex aliquo autore sumas, poteris illius fidem, aut grauitatē cōmēdare. Si piū uideri uoles quod adfers, sumatur à pietate cōmendatio. Atq; idē de cæteris.

Augentur etiam exempla, si fusiùs, aut latius explicantur cum exaggerationibus, atq; amplificationibus. Vt si persuadere studeas, ad prudentiam multum conducere peregrinationes, multarum rerū inspectionem, in Ioannis Aquiloni Caroli s. domestici ab ore, ut uocant, & questoris regij Valentini Mæcenatis nostri laude aliquādiu commoratus, poteris fuse enarrare, quam ciuitatem reliquerit, & quam ob caussam, & quæ maria traiecerit, & quas Barbaras nationes quo capitis periculo adierit, & quibuscum sit congressus, & quid mirandum conspexerit, & quantum temporis absuerit, & quanto illustrior simul ac sapientior in patriam redierit. Exemplum habes in principio secundi libri de Inventionē, ubi Cicer. de Zeuside Helenā picturo uerba facit.

Ioā. Aquilōs.

Hoc exemplum nonnunquam meis discipulis dilatandum propono.

Audacis iuuenis uim passa inuita puella,  
Dedecus est confessa suum; testat aq; diuos  
Præfesto coram, & multum conquesta, rogauit;  
Quo pretio dignus, quit alia facta patraret?  
Virtutem miratus, ait; si filius esset  
Hic meus, ipse darem feriendum colla securi.  
Illa oculos demissa; Fuit sed filius, inquit,

Hic

*Hic tuus. Indigno motus sermone puella,*

*Ipsè pater, natum ad pœnam pro laude uocauit.  
Fuit autem res gesta apud Ceruiam Piceni, Salinas  
habet inter Rauenam, Rubiconem & Ariminum.*

*Aut hoc.*

*Fratrem incauta soror; natam ira percita mater;  
Vir necat uxorem, lex uiolenta uirum.*

*Eadem dilatandi ratio est in exemplis fabulosis.  
Dicemus hæc ab antiquis non sine caussa fuisse cõfi-  
cta, neq; temerè tot iam seculis magno mortalium  
consensu fuisse celebrata. Deinde quid sibi uoluerint  
interpretabimur in hunc modum. Quid innuit Cir-  
ces fabula ueneficijs homines uertens in feras? nisi  
eos qui nequaquam ratione ducuntur, sed totos sese  
dederunt turpibus affectibus, iã præter hominis uo-  
cabulum nihil habere hominis, & pecudum naturã  
induisse? Marsyas excoriatus docet non esse certan-  
dum cum potentioribus. Salmones in tartara de-  
turbatus, docet non esse tentandum, quod supra for-  
tunam nostram esse uideatur.*

*Exempla omnia dilatari possunt parabola, id est,  
ἐπιπέσει, seu collatione, tũ cõparatione, seu contetio-  
ne. Parabola est, cum accõmoda similitudo, quod ad-  
ductũ est exemplum, ostendit aut simile esse, aut dissi-  
mile, aut cõtrariũ. Qui igitur copiosissimè uolet exẽ-  
plũ tractare, is singulas similitudinis, aut dissimilitu-  
dinis partes explicabit, & inter sese conferet: ut M.  
Tull. facit de legato occiso. Multũ etiam ad hoc con-  
ducit, plures circumstantias inter se cõponere, & sen-  
tẽtias ac epiphonemata in huiusmodi cõtentionibus  
admi-*



admiscere. Vt si vicinum meum horter, ut filij mortē moderatē ferat, exemplum alicuius mulieris ethnice recitabo; quo absoluto, licebit similitudinis, & dissimilitudinis partes in hanc modum explicare.

Exemplum nostrum.

Quid hoc uir fortissime? Audistine quæ diximus? Nonne te hæc exempla commouent? Nonne te istorum, quæ de te audiuimus, pudet? Narrant vicini, te in tanta calamitatis cogitatione defixis in cælū oculis obstupescentem, acerbissimoq; dolore percussam, in uestigio concidisse, cum rigerent adhuc oculi, nec ullis fomentis tibi exanimato uita subito deliquio quasi erepta redderetur. At hoc non fecit muliercula, cuius nunc mentionem feci. Quod illa omnibus destituta uiribus potuit, tu uir tantis instructus nature presidij non ferēs? Nemo sanus à muliere fortitudinis laudem expectat; at uir nisi forti sit animo frustra uiri nomen adeptus est, frustra prominentem barbam gestat, & turpiter à fœmina pectoris robore superatur. Illa numerosam filiorum turbam nullas effundens lacrymas sepulchro tradidit, tu unum extinctum perpetuò defles? Adde quòd illius filij simul omnes naufragio perierunt, morte planè obscuratus in bello fortiter pugans occubuit. Illa non habebat cui filios honestè imputaret, tu filium impendisti patriæ. Magnum uerò doloris solatium est, habere cui honestè possis imputare fortunam. Illi perierunt uerè, tuus immortalis fruens gloria, longè felicius uiuit. Illa nature gratias agebat, quòd aliquando tot liberorum mater fuisset, tu hoc unum in

mentem reuocas, quòd optimum filium amiseris. Illa cum esset maior, quàm ut uterum iam ferre posset omnem sarcinæ orbitatis spem infelix perdidit; tu & uxorem fecundam, & ætatem integram, ualentemq; conseruas. Ergo quod Barbara muliercula præstitit, tu uir Hispanus non præstabis? Quod contemnere potuit literarum imperita, hoc te tot discipulis ornatum, tantum Philosophie Doctorem frangit? Deniq; quam animi fortitudinem præstitit Ethnica; hanc homo Christianus non exhibebit? Illa credens animas simul cum corporibus interire, tamen flere erubuit; tu qui cœlestis uitæ immortalitatē plane cognouisti, impudenter clamas tibi perisse filiū? Quod illa æquo animo reddidit naturæ, tu Deo repētenti negas? Illa fortiter obtemperauit necessitati; tu Deo opt. max. repugnas? Querisne ut iratus Deus simul cum filio gratissimam coniugem abducat?

Parabolam ab exemplo permulti sic distinguunt, ut Exemplum sit certæ rei gestæ, Parabola similitudo ab his quæ fiunt; aut quæ natura, casuue rebus adiuncta sunt: ut Attilius ad hostes reuersus, exemplum est seruandæ fidei. At nauis pro uentorum ratione uelum tollens, aut contrahens: parabola est, quæ docet sapientem temporari cedere. Eadem tamē ratione & parabola & exemplum diluari solent. Cicero pro Muræna; Quòd si è portu soluentibus, qui iam in p. e. a. i. p. s. s. & c. usque ad uocem subeundas.

Imaginem, quæ Græcè εἰκὼν dicitur, parabola.

Collatio.

seu collationi similem esse dicimus: discrimen tamen hoc statuo, ut Imago sit comparatio breuissima, Parabola uerò imaginis copiosior explicatio. Velut si dicas, ut asinus fuste non depellitur à pabulo, nisi fatur; ita bellator non conquiescit à cæde, donec expleuerit animum suum. Parabola est. Si uerò dixeris aliquem leonis more in hostem insilisse, ἐκὼς est. Dilatari potest imago per ἰπαγωγὴν, seu inductionem. Exemplum tanquam apertum prætermitto.

Imago.

Contentionem demonstratiuam uocant Rhetores, quando in genere demonstratio laudandi, aut uituperandi causa, personam cum persona conferimus. Ut Plutarchus confert Demosthenem cum Cicerone. Crescit uerò rerum copia, si ad unius hominis, aut rei laudem, seu uituperationem, personæ cōplures, aut res adhibeantur. Veluti si Illustr. D. Lodoicum Ferrerium Præfectum Valentinum laudaturus, ex multis excerpas quod in quoq; maxime excelluit; è Iulio Cesare felicitatem, animiq; præsentiam; ex Alexandro magnanimitatem; ex Traiano, sanctimoniam & clementiam; ex Antonio, gloriæ contemptum: atq; item de cæteris. Similiter & in uituperando. Prætereà, si iracundiam detestans, conferas eam cum inor mi temulentia, cum phrenesi, cum morbo comitiali, aut demoniaco. Aut si lingue uirulentiam damnans, componas eam cum habitu hominis pestilentia laborantis, cum afflatu serpentum quibus est uenenum præsentissimum, cum exhalatione quorundam lacuum, aut specuum subitâ mortem adferente.

D. Lodoicus  
Ferrerius Gu  
bernator, ut  
uocant.

Iudicia hūc reuocanda esse credunt multi; sed nos ad argumenta assumpta reuocamus. Sunt autem iudicia uicisus sententiæ scriptorum illustrium, gentiū, uirorum. Idem ualent Apophthegmata hæc omnia Græcè collegit Stobæus, Latinè Lycosthenes. Extat etiam uastum uolumen, quod inscribitur; Stephani Bellègardi sententiæ. De apologis lege Aphthoniū, ibi reperies quæ sit ratio dilatandi apologi.

### Caput. 8. de Notatione.

Posteaquàm de primis argumentis egimus, ea quæ sunt à primis orta, persequemur. Sunt autem Etymologia, Coniugata, Diuisio, & Definitio.

Etymologia, est nominis interpretatio; ut animosus, animi plenus; homicida, qui hominem occidit. A Cicerone notatio dicitur: ab Aristotele λόγος ὀνόματι, definitio nominis; ὀροματὶ ὀνόματι, definitio nominalis; τόπος ἀπὸ τοῦ ὀνόματι, locus à nomine.

Notatio à Grammaticis & Dialecticis dissimilè ratione tractatur; ab illis ut accidentia dictionum doceantur; ab his, ut ex origine & natura res ipsi significationi subiecta arguatur, & probetur. Sunt etiam qui originationem uocent, quòd origines, & causas omnium aperiat, unde orta, ductaq; sunt. Vallet autem notatio ad iocandum, ut cum Cicer. Verrè à uerrendo uocat. Sed interdum multam continet eruditionem & doctrinam, cum uocabulorum ortus, & partus diligenter exquiruntur. Sic Plato in

Lege Sigonij  
emendationes  
li. 2. pag. 96

Cratylo de origine nominum Græcorum differuit. Et M. Varro de Latinis uerbis multa tradidit. Poëta sepe numero his utuntur, ut cum Ianum à ianua, hostiam ab hoste, uictimam à uincendo, Augustam ab agendo, Aprilem ab aperiendo deducunt. Obseruanda est reciprocatio notationis cum nomine ipso quod notatur. Nam uicissim se arguunt; ut si Philosophus est, profectò sapientiæ studiosus est; si non est sapientiæ studiosus, nec Philosophus. Sed in hoc exemplo cognitam ac labore partam sapientiam intelligo, ne rudis & iners, qui non est Philosophus, dicatur sapientiæ studiosus.

### Cap. 9. de Coniugatiu.

*Iul. Rufinian. paragono. i. derivationem appellat. quia posterius uerbum ex priori derivatur.*

**C**oniugata dicuntur quæ sunt ex uerbis generis eiusdem, hoc est, quæ orta ab uno uariè commutantur; ut sapiens sapientia. sapienter. Coniugata primaria & deriuatiua, seu primitiua, & deriuatiua nominantur à Grammaticis; & quamuis deriuatiua, quæ ex alijs coniungantur, propriè coniugata sint; tamen sic usu uenit, ut omnia coniugata dicantur & primitiua, & deriuatiua; ut in declinatione nominis, tametsi prima positio & recta, unde aliæ cadunt, casus propriè non est, omnes tamen casus dicuntur & recti & obliqui. In Topicis Aristotelis obſeruo reuocantur, quæ Cicero Latine dicit coniugata; sed in ratione dicendi hoc inter eos interest, quòd Aristoteles distinguit à coniugatis uocis, id est, casus: ut hæc nomina sapiens, & sapientia sint con-

iugeta

iugata, sapienter aduerbium sit casus. Cicero autem  
 omnia coniugata appellat. Ex hoc genere sunt  $\alpha\pi\alpha$   
 $\rho\acute{o}\nu\nu\mu\alpha$ , que in præfatione Categoriarum definiuntur  
 ab aliquo solo differentie casu, que secundum  
 nomen habent appellationem, ut à Grammatica  
 Grammaticus; & à Musica Musicus. Fab. cap. 10. li.  
 5. hoc argumenti genus contemnit: His, inquit, illud  
 adijcere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur,  
 quod coniugatum uocant; ut eos qui rem iustam fa-  
 ciunt, iuste facere; quod certè probatione non eget,  
 quod compascere licet. In quo ridiculus est ipse Fa-  
 bius, qui argumentum non putet esse, nisi quod pro-  
 batione egeat: cum argumētū omne perspicua pro-  
 batio esse debeat, alioqui argumentum non est. Cice.  
 pro Flacco: Desine putare autoritatē esse in eo tes-  
 timonio, cuius autor inuentus est nemo. Aliquando  
 in coniugatis & agnominatio, & polyptoton con-  
 iunguntur. Ut iudices non tam ærarij, quàm ærati,  
 id est, ære alieno obruti. Calamitosus Dux, calami-  
 toforum. Item bonorum Deorum, bonitate, bonus  
 Dionysius utitur. 3. de natura Deorum. Quoniam  
 autem in hisce duobus argumentis, hoc est, in etymo-  
 logia & coniugatis, nullus est locus, aut saltem per-  
 exiguus Orationi, que copiam rerum desiderat, peie-  
 ctis exemplis ad diuisionem accedemus.

### Cap. 10. de Diuisione.

**D**iuisio est rei per partes explicatio. Hanc di-  
 stribuere licebit in diuisionē nominis & rei.

Diuisio nominis, est uocis πολύσημος & ambigua in suas significationes distinctio, seu enumeratio significationum homonymi nominis, uel etiam Orationis ambigua, & phrasis; ut si lupum distinguamus in hominem, quadrupedem, & piscem. Canem in bestiam terrenam, aquatilem, & sydus, hac forma: Canis autem terrena bestia est, aut aquatilis, aut sydus. Vel alius terrenus, alius aquatilis, alius æthereus. &c.

Diuisio rei triplex est; generis in species, totius in partes, & rei in accidentia, &c. Prima diuidendi ratio, est generis in species proximas diductio. Hoc modo; animal in hominem & bestiam, seu pecus diuidimus; magnitudinem, permanentem in lineam, superficiem, & corpus. Reipub. in democratiam, aristocratiam, & monarchiam. Ius, in legem, morem, & æquitatem. His modis: Magnitudinum alia longa est, ut linea; alia lata, ut superficies; alia crassa, ut corpus. Corporum simplicium, aliud calum, aliud elementum. Quo modo serè utimur, cum differentijs nomina indita non sunt, & formarum numerus non est infinitior. Animalium aliud est rationis particeps, aliud expers. Quod genus tum adhibemus, cum formis nomina desunt; cuiusmodi sunt maxime illæ, quæ rursus tanquã genera diuidi possunt, quas subalternas uocant. Atq; hæc proprio nomine diuisio appellatur, quæ fit potissimum, cum genera per differentias proprias in suas formas ita diducimus, ut & hæ singulæ deinde generis nomen induentes, in alias subiectas diuidantur, donec ad indiuiduũ peruenias. Ut animalium aliud λογικόν, aliud ἀλογόν. Et

ἀσχυρῶν, aliud terrenum, aliud aquatile, aliud pennige-  
 num. Et his singulis subiiciendæ suæ species. Secunda  
 rei diuidendæ forma, est totius in partes, seu præci-  
 pua membra distributio, quæ propriè partitio no-  
 minatur; ut si Rempub. Rom. in Senatores, equites,  
 & plebeios partiatis. Hominem in animam, & cor-  
 pus; & corpus in caput, uentrem, manus, pedes, &c.  
 quas integrales partes appellant. In partiendo, quia  
 longum esset sæpe singula colligere membra, satis e-  
 rit præcipua recensere. Sed ea tamen optima parti-  
 tio est, cum partes collectæ toti sunt æquales.

Distat à diuisione partitio, quòd genus de quacq;  
 specie dici possit. Nā rectè dicitur; iustitia uirtus est,  
 homo animal est; caput uerò homo dici non potest,  
 nec pes, nec alia membra. Quintilianus li. 7. cap. 2.  
 Diuisio est, inquit, rerum plurium in singulas: parti-  
 tio singularū in partes discretus ordo, & recta quæ-  
 dam collocatio, prioribus sequentiā annectens. For-  
 mas igitur & indiuidua, quæ diuisio reliquit indiui-  
 sa, ea sibi partitio distribuenda sumit. Ut, cum per  
 diuisionem diductum est animal in hominem & be-  
 stiam, succedat huic partitio, quæ hominem in ani-  
 mum & corpus distribuit; ac deinde corpus, in ca-  
 put, uentrem, & cætera membra partietur. Ter-  
 tius diuidendi modus triplex est: subiecti in acciden-  
 tia; ut hominum alij liberi sunt, alij serui. Pharma-  
 corum aliud salubre, aliud noxium. Partimur hoc  
 modo substantiam per omniū accidentium catego-  
 rias, & per plerosq; locos Dialecticos; ut docet Ro-  
 dolphus lib. 1. Alter huic contrarius, est accidentis



in subiecta; ut bonorū aliud animi, aliud corporis, aliud fortunæ. Postremus est accidentis in accidenti: ut bonorum aliud honestum, aliud utile, aliud incursum. Hoc diuidendi genus est Oratoribus frequens, quomodo Cicero in Oratione pro lege Manilia Pompeij laudes enumerat, scientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, & felicitatem. Huc potest & quarta referri diuidendi forma, quam Rhetores tum partitionem, tum distributionem Orationis nominant, qua rerum tractandarum ordo cernitur, & ad docilitatem pertinet, necessaria non Oratori tantum, sed cuius etiam quacunq; de re differenti. Recte uero diuidendi ac partiendi præcepta hæc sunt.

Primum est, ut genus in proximas diuidatur species & differentias, ut substantia alia corporea est, ut corpus; alia corporis expers, ut spiritus; ut diuisio, quoad fieri poterit (neq; enim id perpetuum est) duabus repugnantibus differentijs, totamq; generis amplitudinem, seu rei diuise naturam complectentibus, absoluat: (uitiosum est enim in diuisione aliquid prætermittere; maxime in re finita) ut animalium aliud ratione præditum est, aliud rationis expers quæ repugnantes sunt differentie. Imperite igitur hoc modo diuiseris: Animalium aliud est bipes; aliud rationis particeps; hominū alij liberi sunt alij rustici; colorum alius albus, alius niger. Sunt enim plura colorum genera. Alterum est, ut differentie genus diuidentes coniunctæ, generi sint æquales, & partes collectæ toti, hoc est, ut eiusmodi sint diuisionis partes, quæ de pluribus, quam ipsum illud, quod

quod diuiditur, dici nequeat, hoc est, ut quicquid genere continetur, id totum differentijs, seu membris diuidentibus explicetur. Vt quod est animal, uel planta, id est corpus uiuum: & omne corpus uiuū est animal, uel planta.

*¶ Et auā copia rerum  
exercitatio.*

**Q**ui uolet diuisionis adiumento Orationem copiosam efficere, is comparet sibi ex Porphyry quæq; uocibus definitiones generis & speciei; mox distributo genere in suas formas, agnoscat quantum Oratio locupletata fuerit. Cū Cicero in ea, quæ est pro Cn. Plancio, potuisset breui propositionem absoluere in hunc modum;

*Gratus animus est pater omnium uirtutum.*

Maluit tamen genus in suas species diuidere, & copiam rerum ostentare. Sed ipsum loquentem audiamus.

*Ciceronis exemplum.*

*Etenim iudices, cum omnibus uirtutibus me affectum. & c. usq; ad; uictus esse uideare. pa. 550. lin. 18.*

*Exemplum Poëticum ex lib. 7. Martialis, quo necessarium pro genere sumitur, & necessarij species aliquot tolluntur. Festiuè autem carpit Bacchara res necessarias non suppeditantē.*

*Si quid opus fuerit, scis me non esse rogādū. & c.*

Exemplum nostrum, quo immaturam mortem Pontificis seu Archiepiscopi Valentini deflebamus.

Obijt autem Asisclus Moya de Con-  
tereras mense Maio. 1564.

O nouam fatorum inuidentiam? O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam? O inanes hominum contentiones? Quid querimus? Quid captamus miseri? Nimirum ut ante in ipso cursu obruamur, quam possimus exoptatum portum conspiciere. Heu heu. Nouem dierum Pontificem quis uidit? Vidit Valentia infelix, ideoque tam immaturam mortem equo animo ferre nemo potest; lugent uenerandi sacerdotes, lacrymis referta sunt omnia, moeret Senatus, tristis est equestris ordo, societates omnes illorum, qui artes exercent sedentarias, tam atroci, miserabilique spectaculo lacrymas effundunt, tristicique et incondito eiulatu Archiepiscopi sui interitum auersantur, tota ciuitas confecta senio est, squallent municipia, affligantur Coloniae; agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum Pontificem ardentissimis uotis desiderant. Sed hoc longe grauissimum urbi, et uniuerso regno extitit, quod suum patronum nunquam uidit. Nam cum ageret apud Rucinoneses in Gothallonia, misso nepote ex sorore, ut aedes insterneret, intra dies nouem febre correptus interijt.

Exemplum nostrum, quo depinximus primum ingressum Aristot. in Academiam Valentinam, et Sophistarum exilium. Diuiditur autem Barbaries in suas partes; mox Academia.

Annus agebatur. 1541. quando Iacob. Ferruzius  
relictus

Asti. 6. i. ver.  
insigne furtu  
partib. descri.  
pag. 379. Ve-  
nio nunc ad  
istius. &c.

*relictâ Lutetia Parisiorum in templo maximo Va-*  
*lentino splendida disputatione Theologicas scholas*  
*seu, ut uulgus uocat conclusiones defendebat. Cona-*  
*bantur Sophistæ acres & arguti hominem euerte-*  
*re; sed illius responsionibus elingues fiebant. Quod*  
*animaduertens Ferdinandus Calabriae Dux, qui tū*  
*aderat, orauit Ferruzium, ut tantisper relictâ Theo-*  
*logia, Dialecticam Aristotelis interpretaretur; cum*  
*id libenter pollicitus esset, Sophistæ odio Vatinia-*  
*no prosequi eum cœperunt. Nobiles tamen cum o-*  
*mni populo ipsum studiosissimè complexi sunt. Mo-*  
*uebat autem nobiles & populum uiri eruditio, ac*  
*crioribus calumnijs circumuenta, magnoq; eius diu-*  
*spectatæ uirtutis, & integritatis argumento; tem-*  
*plo maximo excedentem omnes optimatum ordi-*  
*nes domum deduxerunt: tanta frequentia, ut sum ad*  
*paternæ domus limen agendis gratijs substitisset, no-*  
*uissimi agminis pars grauior & honoratior, præ-*  
*turba, ad templi limen adhuc hæreret; & multi ex*  
*his qui eum in exilium missum uoluerāt, astuta dissi-*  
*mulatione comitantibus admiscerentur, instarq; ma-*  
*gni triumphi ea frequentia pompa, intermixto la-*  
*crymis gaudio, Ferruzij gētiles & propinqui, pro-*  
*biq; ciues maxime lætarentur. Hunc diem cum ætas*  
*nostra admirata est, tum omnium gentium, poste-*  
*riorumq; seculorum literæ celebrabunt. Vellem mi-*  
*hi tanta suppeteret Orationis facultas, ut singulare*  
*bonum, quod Ferruzius nostræ Academiæ com-*  
*parauit, meritis laudibus efferre possem. Mu-*  
*ta erant à bonis literis, & à liquida & germana*  
*philoso-*

Philosophia, à ueterum & probatorum autorum uocibus, Valentie gymnasijs. Vigebant in eis ineptæ uerborum captationes, & concertationes; inanes, & spinose questiuncule ponebantur; fallaces & minuta conclusiuncule contorquebantur; disputationibus anilibus, barbaris nominibus, ac uocibus, impolitissimorum librorum lectione omnium gymnasijs parietes personabant. Meræ nugæ, meræ ineptiæ, mera barbaries docebatur. Ignoti erant Homerus, Pindarus, Aescylus, Sophocles, Euripides; ignoti Plato, Xenophõ, Aristoteles, Theophrastus, Plutarchus: ignoti Herodotus, Thucydides, Polybius, Diodorus, & cæteri Græci scriptores omnes. Linguae Latinae elegantiam & mundiciem, incorruptum Latini sermonis usum nemo nouerat, nemo docebat. Hebraice & Græce linguae ne elementa quidem erant nota; omni elegantiore & puriore doctrina, omnibus Græcorum & Latinorum melioris notæ scriptorum monumentis carebamus. Piget, prædetq; referre, quanta tum bonarum artium ignorantia Academiam Valentinam obsessam teneret: quãtis tenebris circumfusa ac penè dicam sepulta esset. Huius tamen aduentu, tanquam aureo sole illustrata conspicitur; nihil ad encyclopediæ cognitionem desiderat. Non inuidet, ut antea, Salamantica, non Lutetiæ, non Patauio, aut Ticino, non Basilea, aut Louanio. Dialectica si unquam aliàs, expurgata nitet, & ab eruditissimis in summo splendore conseruatur. Hi enim tam rara & singulari eruditione ornantur, & tam purè Dialecticam tradunt, ut uix  
tradi

eradi melius, siue Orationis puritatem ac proprietatem, siue artificij ordinem, & partium coniunctionem, siue explicationis commoditatem, elegantiamq; spectes, posse uideatur. Profecto Aristotelem nemo est scrutatus diligentius, nemo expressit proprius, nemo melius intellexit. Debentur ista Ferruzio, &c.

### Cap. II. de Definitione.

**D**efinitio est Oratio, quæ eius de quo agitur, naturam dilucide ac breuiter ostendit. Sunt autem quinque definitionum formæ. Prima *ἁπλοῦς*, id est, essentiæ dicitur: quæ constat ex genere proximo, & differentia, seu proprietate quadam naturali: ut homo est animal rationis particeps. Differentia formam, genus materiam representat, quæ sunt duæ præcipuæ substantiæ partes. Ideo naturalis definitio uocatur.

Secunda dicitur *ἁπλοῦς*, constat genere, & proprijs rei causis, quæ loco differentia colliguntur; ut auis est animal uolatile. Penula vestis est uilis, quæ ceteras à pluuia defendit. Dies est lux, à sole per mîsdum diffusa. Domus est ædificium, ex lignis & lapidibus constructum.

Tertia constat genere & effectis; ut lactuca, & malua herbae sunt, quæ uentrem leniunt. Rhetorica est bene dicendi doctrina.

Quarta est in qua partes præcipuæ, uel formæ proximæ pro differentia sumuntur: ut dies civilis est spatium: 24. horarum equalium.

Quinta

Quinta, ex genere & accidentibus constat: ut aër est elementum calidum & humidum.

Recte finiendi præcepta sunt; ut finitio neq; plura, neq; pauciora complectatur, quam eius quod definitur, natura postulat, id est, ut nihil in ea neque prætermittatur, neq; redundet, atq; utrunq; retrò etiam uicissim comineare, mutuisq; probationibus explicari possit, hoc est, ut definitio eius quod definitur, propria sit, ut ne possit in aliam rem trãsserri quamlibet, sitq; uerbis proprijs & apertis breuiter comprehensa. Modum definiendi Cicero his uerbis refert: Sic igitur ueteres præcipiunt, cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quam definire uelis, cum alijs cõmunia, eousq; persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit, ut hoc: Hæreditas est pecunia. Commune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ. Adde quod sequitur. quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Nondum est definitio; multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Vnum adde uerbum, iure. Iam à communitate res disiuncta uidebitur, ut sit explicata definitio sic: Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Nondum est satis. Adde, nec ea legata testamento, aut possessione retenta. Confectum est. Itemq; illud; Gentiles sunt qui inter se eodem nomine sunt. Nondum est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorũ maiorã nemo seruitutẽ seruauit. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt diminuti. Hoc fortasse satis est; nihil enim uideo Scæuolã Pontificẽ ad hanc

ad hanc definitionem addidisse.

✿ *Nona copia rerum exercitatio.*

**E**X quinta definitionis specie, quam Oratores descriptionem uocant, licet desumere quæ uoles ad copiosam & exultantem Orationem. Nā multorum accidentium congerie, Oratio & illustrior, & copiosior redditur. Quandoquidem hac non solum species, sed indiuidua quoq; describuntur, & quasi definiuntur. Græci uocant *ἰνερπυααμ*, quoniam re lectiori ob oculos ponit. Sunt autem huius species, aut formæ paulò minus uiginti; sed nos has undecim ostendemus.

Hypographi, seu hypotyposis, id est, effiguratio, est, qua rei figura & forma depingitur. Illustratur circumstantiarum explicatione, similibus, dissimilibus, imaginibus, metaphoris, allegorijs, epithetis. Habes huius exempla in autoribus permulta; ut ex sequentibus agnosces.

Diluuij. 1. Metamorph.

Tempestatis. 2. eiusdem, & 11. & Aeneid. 1.

Expugnatae urbis. Quint. lib. 8. cap. 3.

Conuiuij luxuriosi, apud eundem.

Quomodo sit occisa Polyxena, in Eurip. Hecuba.

Mors Iphigeniæ, in Iphigenia Aulidensi.

Astyanactis mors, in Troade Senec.

Orestis mors, in Electra Sophoclis.

Pugn. Barbaric. apud Iuuenalem.

Pugn. naualis, Lucan. lib. 3.

Serpentum Lucan. lib. 9.





Pestilentie. 3. Georgicorum. 7. Metamorph. & in  
Oedipo Senecæ, & apud Thucydidem.

Famis in declamatione Quintiliani.

Descriptiones Homerice huc referri possunt; quo-  
ties armat Deos suos, aut Heroas, quoties conuiuū,  
prælium, fugam, aut concilium describit.

Prodigiorum apud Lycosthenem, & Iuliū obse-  
quentem.

Solis, Niuis, Imbrium, Fulminum, Tonitruū, Tur-  
binum, Terræ quassationum, Incendiorum, Inunda-  
tionum, Seditionum, Exercituum, Stragis, Mono-  
machie, Nuptiarum, Præliorum, Conuiuij, Naufra-  
gij, Triumphij, Ludorum, Texturæ, Clypei, Vestium,  
Machine, Currus, Colossi, Pyramidum.

Ex Ep. quæ hic  
pretermissim.  
reperies apud  
Horatiū & Plin.  
Volator. Pau.  
Iouiū, et Dianā  
Magnum

Nauium Plutarch. in uita. M. Antonij.

Incantationum Lucanus lib. 6.

Maleficiorum Horatius in Satyris sub personâ  
Priapi narrantis quæ uiderit.

Venationis Adrianus Cardinalis.

Torpedinis & histricis, apud Claudianum.

Eruditionis, Lucianus.

Clypei Homerus.

Vitæ aulicæ Lucianus.

Vitæ humanæ picturæ Cebes.

Calumnie Lucianus.

Phœnicis Lactantius.

Psittaci, Ouidius in amoribus, & Statius.

Silentij Calcagninus. 491.

Cremonæ excidium apud Cornel. Tacitum. libr.

19. de Thebis expugnatis. Aeschines contra Cleo-  
phontem.

phontem apud Homer. lib. 9. Iliados, Calydoniorum excidium.

Culicis, Plinius.

Statuarum, ut apud Plinium in epistolis signi senilis.

Prosopopœia, seu descriptio personæ est, qua homo quispiam depingitur. Sub hac Rhetores solent complecti sex etiam species, quæ sequuntur. Usq; ad mimism. Lege Quint. lib. 3. cap. 10.

Depinguntur principes à Plutarcho in Vitis, ab Aemylio Probo, & Suetonio.

Characterisimus est effictio, uel pictura corporis, aut animi: ut Dauid effingit Critonem; Chærea senem illum importunum; Mitio Demeam, & seipsum. Homerus. 3. Iliados Græcos Principes.

Prosopographia personæ fictæ descriptio; qualis est Sybillæ furentis. 6. Aeneidos.

Ethopeia expressio morum, de qua libellum scripsit Emporius Sophista, & Fab. lib. 6. cap. 2. copiosè illam explicat.

Pathopeia est uehementiorum affectuum & perturbationum expressio; de qua Macrobius lib. 4. toto præcipit. Huius duæ sunt formæ. Prima intentio, quam Græci λόγος, Latini quidam imaginationem uocant; qua dolor, ira, furor, odium inuidia, effrenis cupiditas, immodica spes, immoderata letitia, perturbationesq; animi describuntur, & excitantur.

Huius exempla sunt passim obuia in Tragædijs Græcis & Latinis. Lege Ciceronis Philippicas, & Actiones in Verrem; Virgil. lib. 4. Nec tibi diua pa-

rens, &c. Item in. 10. Quid me alta silentia cogis rē  
pere? &c. Item lib. 7. Heu stirpem inuisam. &c.

Altera forma est commiseratio ὀμῖστος, qua  
lacrymæ eliciuntur,  
mouetur misericordia,  
captatur uenia.

Hanc explicat Aristoteles. 3. ad Theodectem mo-  
res & affectus definiens; & Fabius lib. 6. cap. 2. &  
sequentibus. Exempla habes in Perorationibus Ci-  
ceronis.

Dialogismus est, quoties personæ tribuitur Ora-  
tio breuis, uel longa pro decoro eius: ut in concio-  
nibus Liuij. Hūc refer allocutionem à Fabio uocatā,  
qualis est legatorum Romuli apud Liuium, aut qua  
ipse Romulus consolatur raptas Sabinas.

Mimicis est imitatio sermonis, uel morum; qua nō  
modò personæ Orationem, sed etiam gestum effingi-  
mus. Hæ prædictas sex species Quintil. & alij subij-  
ciunt prosopopœia: quare de prosopopœia copio-  
sius agendum erit, ut de Hypotyposi fecimus.

Personarum descriptionem permulti Prosopopœ-  
iam; alij Prosopographiam uocant. Tametsi nonni-  
hil ab hac dissidet Prosopopœia; uel hoc nomine,  
quòd latius patet Prosopographia: nam famis, inui-  
diæ, somni, de quibus in Hypotyposi diximus, Proso-  
pographiis non absurdè dixeris. Proponitur enim  
seu persona quædam; ut

uirtutis & uoluptatis apud Prodicum So-  
phistam, & Xenopho.

Statuarie Lucianus.

occafionis, Aufonius.

fortuna, Horatius in Odis, & Quint. Curti.  
cupidentis, apud Moschum.

Penas & Pluti, Aristophan.

iustitiæ, Gellius ex Chryfippo.

Philosophiæ, Seuerinus Boëtius.

Hippiæ, Lucianus & Apuleius in floridis.

Vocantur hæ profopographiæ notationes, quo-  
ties amantis, luxuriosi, auari, uoracis, temulenti, so-  
mniculosi, garruli, gloriosi personam depingimus: ut  
4. ad Herennium depingitur Pseudoplutus diuitia-  
rum ostentator, cum esset pauper. Lege libellū Theo-  
phraſti de notis. Deinde perpède circūſtantias, quas  
elegantè perſequitur Cæſar Scaliger in libris de  
Pœtica: ibi enim oſtendit quales pingendi ſint ho-  
mines,

à natione, ſeu patria,

ab ætate,

à fortuna,

à ſtudijs, &c.

Exēpla profopographiæ habes in autoribus mul-  
ta: depinguntur enim

Catilina à Saluſtio.

Annibal à Liuiο.

Traianus à Plinio.

complures Romani. 6. Aeneid.

Topographiæ, loci deſcriptio eſt: ut

Carthaginis. 1. Aeneid.

Laurentis uillæ, in epiſt. Plinijs.

Surrentini Polij, apud Statium.



Tiburtini Manlij; ibidem.

Sedes somni; apud Ovidium.

Domus famæ; ibidem.

Regia Solis; ibidem.

Caci domus; apud Virg. 6.

Tænari; apud Statium.

Domus; apud Lucianum.

Regia Psyche; apud Apuleium.

Vesuvij montis incendium; apud Plinium mino-  
rem.

Aethnæ ardentis; apud Claudianum, & Gellium  
lib. 17. cap. 10.

Arcis Tarentinæ, apud Plutarchum in vita An-  
nibalidis.

Crotonis; apud Liuium lib. 4. belli Punic.

Cizici; apud Florum lib. 3. cap. 5.

Templi Hamnonis; apud Diodorum Siculum in  
gestis Alexandri.

Syracusarum descriptio; Verrina. 6.

¶ *Topographia amœnifontis  
ab adiunctis.*

Et gelidus fons est, & nulla salubrior unda;

Et molli circum gramine terra uiret;

Et ramis arcent soles frondentibus alni;

Et leuis in nullo gratior aura loco:

Et medio Titan nunc ardentissimus axe,

Exustusq; graui sydere feruet ager.

Siste uiator iter; nimio iam torridus æstus;

Iam nequeunt lassī longius ire pedes:

Accubitu languorem, æstum aura, umbraq; uirentis;  
 Perſpicuo poteris fonte leuare ſitim.

Topotheſia, eſt loci ficta deſcriptio; cum deſcribitur locus, qui fortasſe non eſt in rerum natura: quales ſunt apud Lucianum in ueris narrationibus, & Elyſij deſcriptio. 6. Aeneid.

Chronographia, eſt temporis deſcriptio; unde aliquando narrationis ſumitur initium. Delectandi enim gratia diem, noctem, auroram, crepuſculum, depingimus; ut Virg. lib. 4. Nox erat, & plac. c. f. f. c. p. t. f. & f. q. æ. c. m. u. Veris, hyemis, autumnii, apud Ouidium. Horatius in Satyra quam modò citauimus, locum exquiliarum deſcribit, deinde tempus, prætereâ Priapi, ac maleficarum perſonas; poſtremò & ſacrificium, & fugam ſtrepitu territarum mirè exprimit.

Ne moleſtus eſſem lectori, exempla deſcriptionũ, tum Ciceroniana, tum mea ad ſequentes libellos reieci. Nec de animalium, aut plantarum deſcriptione, uerba feci; quoniam aues depingunt Petrus Belonius, Gybertus Longolius, & Geſnerus. Piſces Saluianus, & Rondoletus cum Opgiano, Maſſario, Plinio, & Paul. Iouio. Animalia reliqua Edoardus, Geſnerus, & Olaus Magnus. Arbores, & ſtirpes; Dioſcorides, Fuchſius, & Rembertus Dodoneus.

Atque hi quidem ſunt loci, quos habet Rhetorica cum Dialectica communes. Habet etiã proprios, nempe genus, patriam, nationem, cauſarum genera, ſtatus; quos ſequenti libro trademus. Interim ta-

men obseruabunt adolescentes delectum quendam adhiberi oportere. Non enim ad hanc, uel illam questionem tractandam omnia argumenta conueniunt; deinde proposita & descripta argumenta in eandem rem recidere posse. sola autem cogitationum & rationum differentia inter se distinguuntur. Potest enim res eadem modo esse causa, modo effectum, modo subiectum. &c. Ut

Homo est causa boni & mali.  
effectum Dei,  
subiectum sanitatis & morbi,  
adiunctum terrae,  
dissentaneum bestiae,  
& quippiam simile angelo.

Sed uariae sunt & diuersae rationes, cur homo sit hoc, uel illud; & tractatio ipsa & accommodatio ad questionem; ex quo genere argumentum fuerit, indicabit nunc ad ea quae Oratores priuata inuentione excogitare solent; Orationem nostram conuertamus.

Ex Inuentione, Elocutionis figuras emanare, sic agnosces.

Ex loco definitionis emanant Auxesis, Tapinosis.

Ex loco diuisionis, Dilemma, Dialysis.

Ex causis Aethiologia, Diceologia.

Ex oppositis, Antithesis, Antimetabole.

Ex loco generis, Gnome, Epiphonema.

Ex adiunctis, Hypotyposis, affectus, execrationes, obiurgationes, obtestationes.

Finis primi libri.

Laurent

# Laurentij Pal-

MIRRENI DE IN-  
VENTIONE LIBER II.

Cap. I. de partibus Orationis:



RATORIS officium supra  
in Prolegomenis diximus, es-  
se de quavis re proposita di-  
cere ad persuadendum accō-  
modatē. Id autem tribus po-  
tissimum rebus fieri, Rhetō-  
res omnes summo consensu  
confirmāt. Nempe si doceat,  
delectet, & moueat, seu flectat. Quorum primū ne-  
cessitatis est; alterum suauitatis, tertiū uictoriæ; aut  
ut alij distinguunt, docere debitum est, delectare hono-  
rarium, permouere necessarium. Sunt autē permul-  
ti, qui hoc sola inuentione superiori comparari pos-  
se credant: sed nos ueterum præcepta secuti. Inuen-  
tionem Exordij, & reliquarum partium Orationis  
ostendemus.

Partes Orationis quatuor sunt; Exordium, Nar-  
ratio, Contentio, Peroratio. Primò enim ad audien-  
dum paramus auditorem: cū prestat aures, id de  
quo agitur exponimus: ubi causam, controuer-  
siamq; cognouit, rem nostram firmamus argumētis



& aduersarij demolimur; postremo cum affectu ree  
 summam colligimus. Hæ tamen quatuor partes non  
 ubiq; necessariae sunt; sed pro ratione caussarũ plu-  
 res, paucioresue ponendæ. Vna tantum confirma-  
 tio nunquam omittitur. Hanc enim Rhetores ossi-  
 bus & neruis similem esse uolunt, reliquas partes su-  
 perinducto corpori, quam uocamus carnẽ. Nerus  
 est ad necessitatem, caro sepius ad decorem. Duæ er-  
 go ualent ad rem docendam; Narratio, & Confir-  
 matio; ad impellendos animos duæ; Principium, &  
 Peroratio. Cæterum quæ numerantur ab alijs par-  
 tes Orationis; ut partitio, propositio, egressio, iudi-  
 cium, refutatio; ad has quatuor reducuntur; duæ  
 priores ad confirmationem, cuius erunt fundamen-  
 tum. Egressio ad eam partem unde pendet, iudicium  
 fufum est per omnem Orationem. Refutatio confir-  
 mationis est. Poterit fortasse quispiam mirari, cur  
 de tribus illis, quæ initio huius capituli Oratori tri-  
 buebamus, duo tantum recensemus. Sed admiratio  
 omnis cessabit, si perpendas à nobis tradi, non quæ  
 omnino fiant in Oratione, sed quæ præcipua uidean-  
 tur. Operæpretium est autem docere, & mouere,  
 non item delectare; quod ipsum motu & affectu com-  
 prehenditur.

### Cap. 2. de Exordio.

**P**roœmium Græcum est, ut docet Fabius, exor-  
 dium translatiuum: ideò Principium & Initiũ  
 à Cicerone dicitur. Est autem principium, seu exora-  
 dium

dium, prima Orationis pars, quæ efficit ut amice, ut attente, ut intelligenter audiamur.

Horum omnium primus locus est in personis nostris, disceptatorum, aduersariorum; e quibus initia beneuolentiae conciliandæ comparantur.

A nostris personis fauorem, aut beneuolentiam deducemus, si uiri boni, & æqui uideamur. Quod fiet, si ad agendum ex officio uenisse nos doceamus; aut pro eo qui nobis amicitia, aut sanguine coniunctus est, aut de nobis benemeritus. Tum si ex pietate si uoluntate gratificandi, studio in Rempub. misericordiam in calamitosos. Beneuolentiam quoque meretur nostra dignitas, aut eorum quos defendimus existimatio; infirmitas sexus, aut ætatis, ualeitudinis, morum innocentia: quod litium fugitantes, iniuriarum perferentes; commemoratio facinoris præclari, aut casus grauioris, præsertim pro Rempub. accepti. Si auctoritatem nostram tueri uolumus, id quidem agemus cum pudoris aliqua significatione, & dissimulatione eloquentiæ; uirtutes proprias extenuantes, eademque acceptas feremus, uel ipsis iisdem auditoribus, uel Deo; quod in aliorum magis utilitatem, quam nostram nobis collate sunt: qui si quid unquam uel dicendo, uel cogitando, agendoue effecimus, plus in his uoluimus, quam præstitimus; laudem, honores, commoda, si qua sumus adepti, ipsis auditoribus, eorumque gratiæ, & auxilio tribuentes.

A persona auditorum beneuolentiam ut possis comparare, Exordium in Procemium & insinuationem diuide. Procemium, seu ἀρχὴ Latine Principium

dicitur, & saepe integrum est; aliquādo προβολή, que quasi ex abrupto facit uiam sequenti Orationi. Insi-  
nuatio ἰσουλὰ à similitudine clandestini ingressus,  
quo ciuitates capiuntur, appellatur. Si ergo iudicis  
aut auditoris animum à te alienum sentis. Insi-  
nuasione, non recto principio uti licebit. Id autem co-  
gnosces,

si caussa sit turpis,

si fessus audiendo iudex sit,

si persuasus ab iis qui ante dixerunt,

si alio quouis modo alienatus, nihil quicquam  
quam ampliùs audire uelit.

Si caussa sit turpis, dicemus hominem, non rem;  
aut contrà, rem non hominem spectari debere; non  
placere nobis ipsis quæ facta esse dicantur; esse qui-  
dem indigna & nefaria. Et ubi rem uerbis auerimus,  
nihil simile à nobis factum esse dicemus. Si per-  
suasus auditor fuerit. primùm id quo maximè fidem  
factam putamus; post pauca declaratuos nos pol-  
licebimur; intereà refutabimus alia; uel admiratio-  
nem, aut dubitationē præferemus, unde potissimùm  
sit incipiendum, aut quid primo loco refutandum.  
ut Cicero contra Sallustium; Si modò is est autor il-  
larum Orationum. Licet etiã totam accusationē  
diligentissimè diuidere; ne quid reticere uelle uideamur:  
ut Cicero pro Cluentio. Si auditores defessi au-  
diēdo fuerint, ioco, fabula, apologo, apophthegmate,  
& alijs risum mouere possumus. Aut promitte-  
mus, nos aliter quàm parati eramus, dicturos. Aut  
laudabis iudices, apud quos plus æquitatem posse,  
quàm

quàm odium, aut gratiam ostendes.

Ab aduersarijs beneuolentia comparatur, si ostēdas ipsorum amentiam, furorem, libidinem, barbariem, nequitiam, petulantiam, deiectionē animi, cōsiliorum præcipationem, uoluntatem debacchandi in alios. Aliquando Prolepsi ostendemus, nos hoc nec odio, nec ira agere. Si contra uirum aut grauitate, aut dignitate præstantem agimus, colore est opus ad insinuationē, ut quòd beneuolentia potius, quàm odio ad contradicendum accessimus. At si aduersarius sit crudelis, aut inhumanitatis opinione laboret, sequemur Ciceronem contra Vatinium, & Demosthenem contra Midiam. Ab alijs etiam beneuolentiam captare licebit. Ut si iudices audiant nostra incommoda uoluptatem ipsorum inimicis attulisse.

Exemplum nostrum, quo ab auditorum persona beneuolentiam conciliamus in Oratione,  
quam habuimus Cesar augustæ. 6.  
Calend. Iunij. 1557.

Masinißam Numidiæ Regem aduentu Cor. Scipionis exhilaratum, Pa. Iurati, audit. præstantissimi in hunc modum exclamasse legimus: Grates tibi ago summe Sol, uobisq; reliqui Cœlites, quòd antequàm ex hac uita migro, cōspicio in meo regno, & his testis P. Corne. Scipionē familiæ nostræ iustis de causis amicissimum. Huius prudentissimi Regis exēplo, in tanta uoluptate, in hac noua letitia, in hoc insperato gaudio, exclamare libet: grates tibi ago summe  
Christe,

Christe, uobisq; Lamberte & Brauli, huius nobilissimæ urbis seruatoribus, quòd antequam ex hac uita migro, cõspicio in Aragonia, hoc est, patria mea, in uestra hac urbe, eos Consules, talem Senatam, qui studia literarum erigere, ac fouere incipiant, qui Regium, qui liberale, qui munificum opus exercent; qui tandem totis uiribus, summa prudentia, liberalitate singulari, conentur opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutẽ, liberare periculis, retinere studiosos uiros in summa tranquillitate ciuitatis. Hi sunt, qui uerissimè expleant omnem expectationem diuturni desyderij nostri. Hi summa diligentia ciues suos, ac illorum mores ad omne uirtutum genus fingunt, formant, flectunt. Cùm ergo nobis in conspectu uestro hæc omnia occurrãt, quis mihi uisio uertet, quòd eam uoluptatem, quam animo percipio, uerbis exprimam, ornem, exaggerem? Concedite quæso uiri grauissimè, ut breui Oratione ostendam felicitatem, quam hoc anno ciues uestri sunt ex Consulatu uestro consecuti. Deinde pari breuitate commonstrem dignitatem linguarum, quas, magno stipendio conductis præceptoribus, uestræ iuuentuti tradere uolulistis. &c.

Exemplum nostrum, quo adolescens quispiam à Medicis lauream Medicã exposcit, concilians beneuolentiam ab auditorum persona.

Si qui sunt in hac nostra misera ac infelici uita fortunati, illi certè sunt, qui confecto sine offensione  
sue uita

suæ vitæ cursu, ad extremam ætatem peruenerunt,  
 eamq; tranquille, placideq; traducunt. Sed tamen si  
 rem omnem, & humanam felicitatem altè perpen-  
 das, illos longè beatissimos esse dices, qui toto ferè æ-  
 tatis spatio magnis in rebus domi forisq; gerendis  
 decurso, non modò lenem & quietam, uerùm etiam  
 honoratam & gloriosam sunt adepti senectutem.  
 In his uos literarij proceres, si quos alios his tempo-  
 ribus, & meritò possumus numerare, & principem  
 locum iure uidemus obtinere. Nam ut ceteros hono-  
 res, qui uobis & in uestra senectute, & in superio-  
 re ætate habiti sunt, omittam, & ad hodiernos ue-  
 niam: quis fuit hodie uestrū in hunc locum celebra-  
 rimus ingressus? quæ à principibus & nobilibus ui-  
 ris facta uobis gratulatio est? qui plausus? quæ ex ue-  
 stro aduentu perceptæ lætitiæ significatio? quo uos  
 uultu omnes excipiunt? digitis ingredientiæ indicant,  
 exclamantes; ille est Anatomice administrationis  
 peritissimus; hic in historia plantarum nostri seculi  
 Theophrastus iudicatur; iste præceptorem suum Syl-  
 uium superat; ille Pergamenum Hippocratis inter-  
 pretem haud dubie representat. Hæc qui audiunt,  
 qui acutè uident, qui studiosè contemplantur, sum-  
 mam felicitatem, summum quodpiam bonum in his  
 omnibus positum esse & collocatum arbitrantur.  
 Itaq; desiderant, aut potius auidè sitiunt in Colle-  
 gium istud cooptari, titulos istos, & Lauream Me-  
 dicam, qua uos insigniti estis, adipisci. Inter multos  
 uerò, qui hoc ardentissimis uotis exoptarunt, adsum  
 ego, qui, qua potui diligentia, uos præceptores meos  
 colui.

colui, ueneratus sum; Anatomicas administrationes summis uigilijs & laboribus persecutus sum; hystoriam plantarum & stirpium cognitionem tanta assiduitate & studio requirebam, ut interdum editissimas rupes & immania saxa conscendens, uitam ipsam imminentis periculi oblitus uiderer negligere. Quoniam autem non omnibus contingit adire Corinthum, & pauci quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus, hoc consequuntur, uos qua soletis liberalitate, iter adolecentibus aperuistis, hoc laudabili instituto; ut antequàm iuris reæ Medica, aut Hippocratica ornentur, publicas proponant scholas, quas diligenter explicent, & summa dexteritate, si qui eas labefactare uelint, defendant. Mandavi ego typis Medica theoremata ut uobis obtemperarem; nunc precor ut solita benignitate ingenioli nostri periculum faciatis. Nam si hoc mihi diuino auxilio contingat, ut nostra industria uobis proberetur, felix planè sum, & omnium uicos acceptata contemno. Hoc unum oro & obsecro, ut in ipsa disputatione, quãdo iam animi omnium incallescunt, unusquisque susceptæ provincie recordetur. &c.

### De attentione.

**A**ttentio est commendatio rei, & propositio: non quidem probandæ questionis; illa enim *προβολή* dicitur; sed totius sermonis nostri quasi ambitiosa uenditatio. Ut ergo attentè audiamur, triū rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quædã proponemus, aut necessaria, aut coniuncta cū ipsis, apud

apud quos res agetur. Magna pariunt admirationē. Necessaria uim incutiunt animis. Coniuncta, spe boni, fuga mali, mortales sollicitāt. Magna habes in Oratione pro C. Rabirio Perduell. Necessaria Antoniana tertia; Serius omnino P. C. quàm tēpus. &c. Coniuncta cum ipsis apud quos res agebatur, posuit in Verrem, Quod erat optandum maximē iudices, &c. Attentionem quoq; comparabimus, si breuitatem polliceamur; si oremus ut attentē ascultēt. Breuis etiam in initio mora, & silentium dicētis attentionem parat; ut de Vlysse Ouidius refert. Licet etiam aliquando ab Apologo, aut festiuo Apophthegmate initium sumere; ut Cice. 3. de Officijs: Publium Scipionem. &c.

Exemplum nostrum, quo attentionem & beneuolentiam comparamus ab historia: in illa Oratione, quā recitauimus in Academia Valentina, mense Iulio. 1556. ab Aragonijs uocati, apud quos annos quinq; transsegimus.

Dinocratem Architectum nobilissimum heroum Hūc Strabo  
eis illis temporibus, Celaiā Rector Magnifice, au- & Aelianus  
ditores præstantissimi, à Macedonia ad Alexandriā Chincratem  
Magni exercitum profectum fuisse legimus: illa so- uocat, Iustinus  
la caussa concitatum, quæ alios frequenter ad Re- nus Cleman-  
gum contubernia impellere consueuit. Cum autem sed nos Plin-  
purpurati idoneum commendationi tempus expe- & Solinū se-  
ctantes, tardiores iusto existerent, à seipso præsidium cuti sum-  
petens, quod optauerat assequutus est. Erat Di-  
nocrates procera corporis statura, facie grata, for-  
ma dignitateq; summa, colore lacteo, uiuacibus  
oculis



oculis, serena prorsus, ac regia fronte, omnium qui adessent eius ætatis formosissimus. His igitur naturæ muneribus confusus, oleo corpus perunxit, caput coronauit populea fronde, leuum humerum pelle leonina textit; dextraq; clauam tenens, incessit contra tribunal regis ius dicentis. Nouitas populum cum auertisset, conspexit eum Alexander; & admiratus, iussit ei locū dari ut accederet, interrogauitq; quis esset? Cognitis iam omnibus, eum muneribus exornauit, & iussit ciuitatem Alexandriam constituere. Itaq; Dinocrates à facie dignitateq; corporis commendatus, ad eam nobilitatem peruenit. Mihi autē eam corporis dignitatem non tribuit natura, colorem pallidum effecerunt literarum studia, uocem tacite tinnientem effecit assiduus in prælectionibus labor; & laterum magna contentio. Itaq; ab his præsidijs destitutus, non aliunde mihi auxilium expectandum censeo, quàm à uestra benignitate, auditores egregij. Ecquando autem commodius, quàm hodie, in meo discessu, indicare uestram benignitatem potuistis? Quare si quam in dicendo tarditatem, si quid in pronuntiando insulsum, aut agreste protulerō; id dolori, uel mœrori potius, quem ex discessu ab hac urbe suscipio, tribuite, et uestra benignitate mihi ignoscite. Equidem illum ego ex numero hominum eiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandū puto, quem beneficij accepti obliuio uel exigua comprehendat, ipse beneficio uinctus, ingratus esse non possum. Piaculum autem est illis insalutatis discedere, qui me propter studia literarum delegerunt,

qui in suum ordinem cooptarunt, humanissime tractarunt, mercede sustinuerunt, spe fortunæ melioris crexerunt. Hisce omnibus adductus, ego hanc Academiã non aliter nomino, quã patriam; cuius. 14. annis sum incola. Placuit ratio administrationis vestræ, educatio ac ciuilitas populi huius, & incredibilis in eo quies, ac iustitia per gentes quotidie celebrata. Itaq; & uxorem hic duxi, nec secus huic ciuitati consultum uelim, quã ei, in qua quod uitæ reliquum Christi benignitas fecerit, traducere statuerim, absoluto hoc tempore, quo uelim nolim abesse cogor. Discessurus autem Mithridatem Ducem uasfrum imitari malo, quã seuam illam ac ueneficam Medeam; hæc enim cum Iasone è Ponto quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in ijs locis quã se parens persequeretur, dissipauisse; ut eorum collectio dispersa, mœrorq; patris celeritatem persequendi retardarent. Sic Mithridates fugiens maximam uim auri, atq; argenti, pulcherrimarumq; rerum omnium, quas & à maioribus acceperat, & ipse bello ex tota Asia direptas in suum regnum coniecerat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum Romani colligunt omnia diligentius, Rex ipse è manibus effugit. Ita illum in persequendi studio mœror, hos lætitiã retardauit. Discessurus ego ex hac urbe, diu multumq; cogitavi, quas gemmas in uia dissiparem, quibus discipuli mei occupati à me reuocando desisterent. Nihil autem occurrit unquam quod esset cum Ciceronis facundia conferendum, aut quod Valentinæ Academiæ gratius excogitari

gitari possit. &c.

### De docilitate.

Intelligenter audimur, cum facillime auditor discit, & quid agatur intelligit. Apponemus ergo causæ totius generalem partitionem, quæ aperiat causarum capita, non quidem ut ea exponat, & probet; sed tantum ut constituat, & quasi designet. Unde hæc pars vocari solet εἰσακτοῖς κεφαλῶν. Quemadmodum autem propositionum quædam sunt non solum in singulis exordijs & statibus, sed etiam in singulis argumentis: sic & diuisionum, quædam est generalis totius Orationis, aliæ particulares singularum quæstionum; quæ & plerumque in renouatione maxime post narrationem proponuntur. Completemur à principio genus, materiamque causæ; ut Cicero in Verr. Multa mihi necessario iudices præmittenda s. u. p. a. m. a. &c. Hic exposuit summam totius accusationis. Diuidit Antoniana prima; Antequam de Repub. P. C. &c. In hac partitione uitanda est partium confusio, quia prudentiam, hoc est, intelligendi uim atque facultatem implicat. Vitanda multitudo, quia memoriam confundit; tandem quæ mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt referri. Qui in exordio Protasin, Axiotin, & Basin obseruant, nimis religiose Græcorum uestigijs insistent; ideo à nobis contemnentur.

### Appendix.

Possunt etiam exordia sumi extrinsecus à tempore, ut pro Cælio.

*Ab armatis in foro; ut pro Milone.*

*A loco; ut pro Deiotaro.*

*Ab interuentu alicuius; ut in Verrem, qui præter opinionem aderat iudicio.*

*Ab interpellatione; ut Antoniana. 4. cum populus acclamando interpellasset, adiecit: Nunc uerò multò sum erectior q. u. Ab aduersarij dicto; ut Philipp. 9. in Peroratione. Sunt enim exordiendi & perorandi præcepta communia.*

*Fugiendum uulgare exordiũ, quod in plures causas tanquam gladius Delphicus conuertitur.*

*Commune, quod in hanc & contrariam partem causæ potest conuenire.*

*Longum, quod tollit corporis symmetriam.*

*Separatum, quod causæ non coheret, aut nihil ad rem pertinet.*

*Translatum, commutabile, & contra præcepta addunt multi; sed quorsum? nonne & ista sunt contra præcepta?*

### ¶ Cap. 3. de Narratione.

**N**arratio est rei gestæ, aut tanquã gestæ utilis ad persuadendum expositio: usus ipsius à Cicerone traditur; ut sit quædam quasi sedes ac fundamentum constituenda fidei; quia quod argumentorum continet breuis expositio, fusiùs explicat narratio: quò fit ut propositio breuis pro narratione collocari possit. Narrationis uirtus prima est, ut sit dilacida; altera probabilis; tertia suavis. Dilacida erit, si usitatis uerbis, proprijs, & ijs quæ in

elocutione dicemus ornetur. Nam si dicas: Pedē Casnar in templum labans ferebat tardē, obscurum est: at si dicas; Senex infirmus tardus ibat in templum, dilucidum erit. Probabilis erit si personis, temporibus, locis ea quæ narrabuntur, consentiēt; si cuiusq; facti & euenti causa ponatur; si testata dici uidebūtur; si cum hominum opinione, autoritate, lege, more, religione coniuncta; si probitas narrantis significabitur antiquitas, memoria, Orationis ueritas, & uitæ fides.

Suauius est quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorū, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, letitias, cupiditates.

Cicero. 3. in Verrem pag. 166. lin. 26. Vnum aliquod de nefarijs istius factis eligā; quò facilius. & c. usq; ad pag. 173. lin. 5.

Exemplum nostrum, quo expectationes, motus animorum, metus, & alia ad suauem narrationem reuocantur, in Dialogo nostro publicè recitato 1562. mense Ianuario: adferemus autem fragmentum prolixum, ut lectorem exhilarare possimus.

Hæc uerba  
sunt desumpta  
ex medio  
Dialogo.

SINAP. Vale uita, ego Sinapius morior. MEL. Audis Egnati, est ne Daphnis ille ex primo Idyllio Theocriti? EGN. Accedamus propius, cedo speculum, admoveamus ori; uah adhuc spirat? heus Robortelle dicto citius uolato, accerse Medicū. ROB. Quem Medicum? Doleſam, an Ledesnam? EGN. Quem uoles; sed

sed heus mane, mane, reuiuiscit iam. SINA. O uiri clarissimi quantum Deo opt. max. debeo, qui uos tã opportunè hũc adduxit. Nam me uestro aspectu scitote ex magna perturbatione totius ualitudinis, tãquam ad aspiciendam lucem esse reuocatum: præbete queso manus, ut timoris partem deponam; id enim fortassè aliqua ex parte sollicitudines alleuabit meas. EGN. En porrigimus, explica iã quod passus fueris. SIN. Mane, explicabo, cùm omnis quæ me angebat cura, cõsederit. Vah iam se meus animus erexit, narrabo rem planè admirabilem; uos eas aures quas et res ipsa hæctenus inaudita, et mea necessitas exposcunt, præbete. Fama huius urbis et Academiæ cõcitatus, relicta patria, tãdem hesternæ nocte ad hæc suburbia perueni; in hoc ergo uico Sagunthino nidum quæsiui, satis aptum et amœnum inueni. Cœnatus in cubiculum ductus sum ab hospite, ut quiescerem: sed uix oculis somnum capere suauem cœperam, cùm ecce hospita nuda genu, et flauos sursum reuincta capillos, ingreditur, et me admodum suauis, et molli sermone Valentino alloquitur: Heus adolescens uenustissime, uir quidam nobilis nunc appulit, quem certè nõ possum excipere, ut dignus est, nisi huius lecti participem facias; si id à te impetoro, inueniam ecastor ipsa postea occasionem, qua tantum beneficium possim rependere. Concessi, laudauit illa meam benignitatem; et discedens nobilem illum ad me mittit. Ingreditur ergo calamistratus elegantis cesarie iuuenis, qui posteaquàm me urbanè salutauit, statim se exuere cœpit, extenso prius sudario

Narratio.

Expectatio.

Colloquia personarum.

candidissimo, & acupisto per mensam mediam. Eduxit mox gladium unâ cum baltheo, quẽ compositè admodum ad caput mensæ reposuit. Deinde tibialia & thoracem eodem modo ad alterum caput, me hæc omnia inspestante. sed limis oculis inter lodicem & puluinum, quæ ad hoc mihi adaptaueram, iuxta illa pileum quoq; adeò cautè, ut putares, uix ausum digitis attingere. Cœpi ad hæc mecũ irridere hominis uanitatẽ, & amare eum certè arbitratus sum, aut laborare ex mania. Posthæc ad linteolũ ille accessit; & stas altera quidem palma supra uerticẽ posita, tribus digitis dextræ manus substulit cæsariem, quam uerisimile est gestabat non suam; & caput ostendit rasum undiq; quales in Polyandrijs cernuntur mortuorum caluario. Vix intereà poteram cachinnũ cohibere; sed dentibus accepta lodice reprimebam spiritum. Visus etiam est ille dentes aliquot ab ore accepisse, quos ferebat exemptiles. Tandem leuiter dextra nasum apprehendit; quẽ cum hũc atq; illũc, tanquam ex cardine mouens flexisset, supra linteolum posuit. Tunc ipse ridere desijt, horror enim non mediocris cachinno successit. Ille post euulsas nares oculũ utrumq; effodit, & iuxta nasum collocauit. Hic uidisses me iam toto corpore tremere, & concuti; nec quid consilij caperem in rei tam inaudite casu habebã. Inter hanc meam trepidationẽ & metum aures etiam ille deposuit. Ad extremum ambabus manibus apprehensum caput è collo sic euulsit, ut non natura, sed arte aliqua commissum cũ reliquo corpore diceres. Hoc ipse non potui ampliũ sustinere, sed ex lecto prosiliens discessi, & hũc usq;

*Met. animor.*

*Metus.*

delitui; nunc uerò solitudinem fugiens ad uos acces-  
 si, amabo explicate quidnam hoc omne portendat;  
 uereor enim ne larua, aut lamia sit huic urbi uerna-  
 cula peregrinos deterrēs. + GN. Rē audiui nō minùs  
 horrēdā, quàm illud quod de umbrarum figuris, et  
 falsis imaginib. lib. 2. dierū genialium recitatur; ego  
 prorsus non assequor. MET. Incubonē Galeni, quem  
 Pau. Aegineta Pnigalionē uocat, fuisse existimo. Sed  
 cōsulamus hūc Aegyptiū, qui ad nos accedit. AEGY.  
 Τις ὄσι τὸ Δε. EGN. Πολλοὶ κ̄, ἀγαθοὶ. MEL. Ego prorsus  
 nō intelligo. AEG. ἄνδρες φίλοι ἴτε, σπεύδτε, ἰγχο-  
 νᾶτε, ὡς ὁ καίρῳ ὄχι ὄσι μέλει. ἀλλὰ ὄσι ἐπ' αὐτῆς τῆς  
 ἀκμῆς, το βάνηρον λάμβανετε ἀπόπειραν ποιῶμαι λέγετε  
 λέγετε ὄσι δὲ, ἀθωῶς εὐδοκῆ κ̄ ἰξωῖστο βλέπετε τὴν μή-  
 κην ἐπισπάσαμενοι. EGN. ὡς ὄσι τὸ ὄμασ ἀπκτῶρ π' ε  
 το βάνηρον καὶ λέγε κμηρ τὶ πασχα ὄτῳ. AEG. ὄ δυνάμει  
 τοῦ γυνῶναι ἐκ τοῦ μόνῳ πρῶσπέ, καὶ ἐκ τῶν ὄφθαλμῶν  
 ἀλλὰ φράζε συ π' ὄσι ἐν θαυζῶ κενάμ, καὶ ὄσις ποῖε ὄσι ὄ  
 τῳ, καὶ τοῦ χᾶριμ, καὶ ὄ δέομενῳ ἠλῆε μετὰ τφῶρ ὄε  
 θαδ. ΣΙΝΑ. **Quid querit nunc? EGN. Vult ut ipse-**  
**met repetas omnē historiam; age, accede, et illi bre-**  
**uiter in aurem narra.** AEGY. ἰυρική ἰυρική, ἐγὼ κῶν ζα  
 λκῶ λῆζω. EG. φράσο. AEG. δὲ ὄσι μοι ζα χρημαζα. EGN.  
 λαμβαν: AEG. ὄτος ἰσε ζητορ μέγας τῶ δὲ ὄλκῶθ εἶναι  
 νομιζῶ, καὶ πανῆες βλέφετε, ἰπεδᾶμ ἢ πρῶτῃ ἰγχωρῆ, τὸ  
 γὰρ ἐν ἰπνέθμ ληθῶ τὴν ζήλας ρικῆμ ἐς τὸ πομ νεανίσκομ ἐλ-  
 θῶσαμ. ἢ γορ ζητορική πέντε ἔχα ζα μέρη, ὡσπερ το σῶμα  
 ἐνθρῶπίνουμ κῶρ τὴν κηφάλημ σῶ δὲ ὄ βροχίῶναι, κ̄ ζα  
 σκῆλη μετετε κ̄ δὲ ζα ἀλλ' ἰμέρια, καὶ τῶν ἀναλυσίμ ἰνυ  
 πνιουμ σημοίνε. ἔῶς γὰρ ἰκκνο ὄ ἐν τῆ κῆρᾶ παρτελῶς ἰυ  
 νοῖ, καὶ κ̄

Hi Peloponnesiaci, aut Cretē-  
 ses se aegyptios  
 esse fingunt. sui  
 res sunt, uel-  
 gō Buntians,  
 aut Gitanos  
 uocant, et te-  
 nui feniculo  
 ab haberi ali-  
 quo nutus ex-  
 eral. ut, dū ex-  
 quirūt dētro,  
 ὄφαρα, id est,  
 siue finiculi-  
 bus libet, an-  
 nodō uinētus



οὐκ εὐτυχεῖ; δι' ἐνυπνίου ὄρα. EGN. O te felicem Sina-  
pi, cuius studia tanquam Platonis incunabula felici  
augurio orbi declarantur. Haclenus Liuy elegantia  
fontem exaruisse deflebamus; interceptā quoq; Cur-  
tij elegantiam; Trogi grauitatem intermissam esse,  
Cornelij Taciti magnam partem interiisse; sed nunc  
tu solus horum omnium iacturam reficies. SINA. Ne  
quaeso me, ὦ Egnati irrideas, ne uana spe oblectes, ex-  
plica aperte somnium, nec aliò detorqueas. &c.

### Cap. 4. de Egressione.

**N**arrationis uirtutem quartam esse uolūt Rhe-  
tores breuitatem: ne quæ explicaturi sumus,  
ab ouo Lædeo impudenter auspicemur. Sed hoc pru-  
dentie tribuendum, non præceptis censeo: prudens  
enim Orator pro loco & tempore addet, aut detra-  
het multa. Sed aliquando Orator, letum plausibi-  
lemq; locum exquirat, & opportuna digressione ani-  
mos auditorum exhilarat. Est autem digressio Græ-  
cis λέξις παρὰ τὸ σῆμα, & ἔξοδος, ἰκδιολή, id est, exitus.  
Vnde apud Thucydidem, ἀπολαύειν τὸ ἐξελθὲν λόγῳ. Ea li-  
cet ut augeamus factum, aut euertamus quæ-  
sionem, seu occupemus argumenta, aut animos au-  
ditorum à consideratione criminis, attentione q; ni-  
hil auertamus. Id autem fiet loco communi, quere-  
li, laude hominum, & aliarum rerum; aut cōuicio,  
descriptione, fabula, historia, exemplo, similitudine,  
sæpiusq; qualis est Demosthenis de alini umbra.  
Descriptiones autem sunt montium, fluuiorum,

nauium. &c. quarum capita aliquot subiungam.

Flumen laudatur ab ortu, amplitudine, cursu, colore aquæ, locis quæ præterfluit, fluuijs quibus augetur, piscium genere, à piscandi & nauigiorum forma; tandem ostendemus quos sinus faciat, quas insulas, quos agros, quæ nemora irriget.

Ager laudatur, si ostendas quid ferat, quantum, quo ritu colatur, cuiusmodi cultores, quod arborum genus, cuiusmodi uinum proferat, quæ sit ipsius amœnitas, ubertas frugum, pomorum uarietas, prædia.

Domus ab area, atrio, amplitudine, figura, materia, quo lapide, cubiculis, situ, prospectu, horto, puteo, fonticulo, sacello. &c.

Urbes laudantur ab antiquitate, prima origine, situ, fundatore, religionis studio, ducibus, Republica, Senatu, frequentia populi, uirtute bellica, studio pacis, ciuium urbanitate, domorum magnificentia, uariarum rerum copia, amœnitate, uicorum latitudine, & munditie, cæli temperie.

Regiones ab antiquitate loci, primis habitatoribus, situ, amplitudine, ducibus, frequentia urbium, fertilitate, tuto transitu, uirtute bellica, aëris clementia, & salubritate.

Templa ab antiquitate, prima origine, situ, fundatore, area, atrio, amplitudine, figura, materia, columnis, tecto, ara, sacellis, turri, tintinnabulis, sacerdotibus.

Montes ab altitudine, amœnitate, herbis, prato, si quod sit in radicibus montis, à rebus raris, nouis, prodigijs, ab aliqua memorabili spelunca, ab alia

quo fonticulo, ab omni herbarum genere.

Naues à magnitudine, materia, fabro, conclauibus, contignationibus, apparatu, rebus necessarijs.

Tandem locū quemuis depingentes describemus; num in edito, an humili, an decliui, in plano, an monte nemoroso, an secus. Quo flumine, mari, aut lacu alluatur, aut cingatur. Quātum passuum in longū, in latum, in ambitu contineat. Hic consideratis cœli plagis, quem prospectū, quas urbes, quos agros, quos mōtes, quæ nemora in unamquamq; partē habeat. Quo sole illustretur, quibus uentis trudatur, cui cœli portioni subiaceat, cuiusmodi cœlum habeat, salubre, an pestilens; amenum, an secus, exponemus.

### ¶ Cap. 5. de Contentione.

**C**ontentio pars Orationis est tertia; quando cōfirmamus nostra, Confirmatio uocatur; quando redarguimus aliena, Reprehensio, & Confutatio dicitur. Ordo hic est. Præcedit narratio, huic iūctā s̄p̄e partitio est, sed ipsa confirmationi cedit, cuius est fundamentum. Hanc tertiam Orationis partem, alij probationem uocant, Græci πῖσωσις, ἡ ἀσπασίς, quasi certamen. Acute quidem: nam hic strenuè certandum, hic clarissimorum Rhetorū, & Orationum ingenia sudauere. Dic queso, quorsum tanta diligentia auditorem, amicum, attentum, & intelligentem effecisti, si nihil probas? aut tandem tuā sententiam frigidis, aut insulis argumentis confirmas? Huc inuentionem, & reliquas eloquētiae partes accerse:

*cerse; huc causas, effecta, subiecta, adiuncta, opposita, comparata; huc copiam rerum, & omnem supellectilem Oratoriam adferro; alioqui in loco humili & abiecto consenescet. Obseruandum est autem omnem confirmationem adhiberi quaestioni, alioqui frustra tela conijcias, si nihil est quod petatur. Quaestiones omnes numero sunt tres. An sit, quid sit, quale sit. Ex his oriuntur tres Oratorum status, seu constitutiones, de quibus eram commodè acturus; sed feruor & alacritas iuuenilis non patitur, ut mei auditores tandiu à componenda Oratione retardentur. Protinus enim exclamant: ecquando dabis nobis Orationis partes, ut possimus coram nostris condiscipulis declamare? & ea quae fuse de Inuentione, & copia rerum tradidisti, ad usum & calamum studiosè reuocare? Absoluemus ergo Orationis partes, ut habeant adolescentes, in quibus stylum exerceant; deinde status, seu constitutiones persequemur.*

*Confirmandi ratio haec est; in primis argumentando more Dialectico facimus fidem: sed quoniam concisa est Dialecticorum ratiocinatio, nos qui non tantum docere, sed etiam delectare & flectere uolumus, Syllogismum quinque partibus absoluemus. Alii Epicherema uocant, sed discrimen hoc est; Syllogismus uera colligit ueris, Epicherema frequentis credibilia amplectitur Caelius Secundus in Commentariis in Dialect. Perion. acerbè Quintil. sententiã de Epichermate reprehendit. Lege Cicer. de Inuentione. Reliqua docebimus paulò post cap. 7. ibi enim rationem confirmandi in unoquoque causarum genere reperies.*

Refu=

Refutatio, seu ἀνασκευή, ex ipsa confirmatione pendet. Nam si memorie mandasti, quæ sunt necessaria ad confirmandum, facile tibi occurret quæ refutare possis. In referendo autem argumento aduersarij uaria utemur methodo; nunc enim illud totidē uerbis, nunc obscure, interdum cum incremento, uel extenuatione repetemus; falsa negabimus, ambigua distinguemus. Magna uerò uis est ironiæ ad diluendum argumentum aduersarij. Inde enim risus & contemptus, quo debilitantur maximè quæ ab aduersario allata sunt. Iubet tamē Hermogenes, ut quæ debilia sunt, illa quasi scientes proponamus; quæ uerò mediocria, præ incertitudinem; quæ ualida, sic cum interrogatione inducemus, quasi ipsi audiamus. sed cum contemptu, nullius esse momenti iam dudū sentientes.

### ✿ Ratiocinationis, seu Epichere- maris, seu Syllogismi dispositio.

Proponemus aliquid ex quo tota uis Syllogismi emanet, ueluti si nitamur ostendere, mundum consilio gubernari; primò respiciemus ad eam causam, cuius gratia mouemur ad credendum id ita esse, ut in proposito themate; mouemur enim ad id dicendū quoniam uidemus mundum bene gubernari. Ex hac igitur causa prima propositio deducetur: quæ maiorem Dialectici uocant, sit hæc, quòd bene gubernatur, consilio regitur: quæ si negata fuerit, aut uidebitur minus probabilis, utemur secunda parte syllogismi,

logismi, seu approbatione; per quam rationibus stabilis quod diximus, addētes plura singularia, domum, exercitum, nauim; quæ ut consilio recte gubernantur, ita temeritate corruunt. Sequetur assumptio, in qua assumemus quod probare uolumus; nempe mundum bene gubernari; ad quam ostendendam tanquam minus notam adducemus quartam particulam syllogismi, hoc est, assumptionis probationē, enumeratis multis quæ in subiecto continentur, ueluti signa, sydera, quæ ortus & occasus nocturna & diurna uicissitudine bene dispositos ostendunt. Postremò sequetur complexio; ergo mundus consilio gubernatur: uel per epilogum præmissarum ut uocāt, sic, Quare si omnia bene composita consilio gubernantur, & mundus bene compositus & ornatus est; igitur consilio gubernatur.

Est tamen obseruandum, cum alterius propositionis ratio manifesta est, uel utriusq; tunc Syllogismum non quinque, sed quatuor, aut tribus partibus ab Oratore constitui. Peruertunt etiam Oratores ordinem. Nam Cicero pro Cælio, dum nititur ostendere Cælium non esse uoluptatibus deditum, à complexione incepit: At uerò in M. Cælio. &c. Mox assumptionem posuit, dicens: Audistis cum pro se diceret. Propositio maior sequitur: Atq; scitote iudices. Sic pro Roscio Amerino.

Enthymema est imperfectus syllogismus, cum altera propositionum reticetur; ut: Clodius insidiatus est, ergo Clodius iure cæsus. Desideratur propositio. Item omnis insidiator ut hostis iure interficitur; et

Clodius iure interfectus est, desideratur assumptio. Peruertunt & hic ordinem Oratores & Poëtae; ut apud Ouidium quæritur Aegistus q. s. f. a. i. p. c. desidiosus erat. Item; quando ego n. t. g. p. ueris? Res est solliciti p. t. amor. Sed an unica propositione poterit fieri enthymema? ut peperit; ergo cum uiro concubuit. Argumentationem ego non uocabo, sed argumentum, quo sensu signa & indicia argumenta dicuntur. Duplex Enthymema ab eruditis constituitur; Rhetoricum ex contrarijs conclusum; ut Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Item, an bonū pecunia, qua quisq; potest malè uti. Dialecticum, quod diuiditur in antecedens & consequens, id est, propositionem, uel assumptionem, & conclusionem. Cæterum si idem sit antecedentis & consequentis terminus subiectus, desideratur propositio: si diuersus, assumptio, quò Syllogismus fiat; ut Sol oritur; ergo dies est.

Inductio Rhetorica est Oratio, quæ rem unā ex pluribus similibus colligit; ut si pomū optimū censeatur generosissimum; si equus optimus, si ager, aliaq; plurima quæ sunt optima, eadem habentur generosissima, profectò dicentur & generosissimi homines ij, qui sunt optimi, non qui claro sunt orti sanguines; hoc si per interrogationem fiat, appellatur inductio Socratica. Inductio Dialect. est, qua ex rerū singulārū, quæ similes sunt inducti. res uniuersas probamus.

Antecedens.

Vinū Rhenanū, Hispanicū, Italicū, & Germanicū calfaciunt; nec ullū reperitur genus uini diuersum.

Consequens.

Ergo nihil omne calfaciendi vim habet. Cauendum ne qua partium dissimilitudo occurrat; nam hæc inductionem subuertit.

Exemplum est argumentandi ratio, in qua unum ex altero propter mutuam quandam consensum et similitudinem, inductionis propemodum forma probatur; ut iure occisus est Saturninus, quonia Gracchi idem facientes occisi sunt. Vocatur aliter imperfecta inductio.

Sorites est qua gradibus quibusdam ad conclusionem peruenitur, quæ ex enunciationibus necessario sequentibus ita constituitur, ut attributum pronuntiati primi subiectum fiat alterius, et huius attributum tertij efficiatur subiectum, atque ita deinceps precedentibus sequentia connectantur: ut quod est omnium postremum attributum, id primi pronuntiati subiecto coniungatur; ut

Anima seipsa mouet.

Quod autem seipsum mouet, principium motus est.

Quod autem motus est principium, natum non est.

Quod natum non est, profectio etiam immortalis.

Anima igitur immortalis.

Hinc nata est gradatio, uel climax.

Dilemma, uel complexio est argumentum ex 2. membris repugnantibus constitutum, quorum utriusque concesseris reprehenditur; ut si formosam uxorem duxeris, habebis communem; si deformem, molestam. Inuersione dissolui potest; ut si formosam duxeris, habebis uoluptatem; si deformem, non communem. Vitiosum dilemma est, cum altera pars, uel utraq; potest in aduersarium retorqueri.

Antistrophon, seu argumentum reciprocum habes apud Gellium lib. 5. cap. 10. §. 11.



*Ceratinae sunt interrogationes subdole: ut Phari  
sæi Christo domino nostro proponebant: Estne red=  
dendum tributum Cæsari?*

*Crocodilites est, cum callida circumuenti interro  
gatione id admittimus quod mox abreptum ab ad=  
uersario nobis obest; lege Politiani miscellanea.*

*Asystaton, uel non consistens; ut si quis tacere se  
dicat, uel mentiri, uel nihil scire. Ex his ita perficien=  
tur sophismata; igitur qui tacet, loquitur; qui menti  
tur, uerum dicit; qui scit, nihil scit. Ad has ineptias  
refutandas dicemus repugnantiam, seu oppositionem  
enunciationum non fieri nisi  $\alpha\lambda\lambda\alpha\ \tau\omicron\ \alpha\upsilon\tau\omicron$ , seu ratio=  
ne eiusdem.*

*Pseudomenon, seu mentiens; ut illud Cælum tegit;  
omnia igitur, & se tegit. Et; Cretenses sunt menda=  
ces, dixit Epimenides ipse Cretensis: uerumne dixe=  
rit, an falsum, & sintne mendaces, an ueraces, qua=  
ritur. Si uerum dixit, & sunt Cretenses mendaces;  
falsum tamen erit, quoniam ab autore Cretensi, &  
ipso mendace pronunciatum: si non sunt mendaces,  
nec Epimenides mendax, & ei credendum est. Dissol  
uturus hanc inexplicabilem captionem, dices inde=  
finitum hoc pronunciatum; Cretenses sunt menda=  
ces, non idem ualere quod generale, ut ne se quidem  
excepisse Epimenides uideatur. Quemadmodum nec  
is qui admonitus in quiete, ne somnijs fidem habe=  
ret, falsum id quoque somnium putabit. Idem respon  
dendum est ad illud quod paulò antè posui loqui eum  
uideri, qui se tacere dicat, nempe cætera eum tacere  
de quibus loqui desinit.*

Enumeratio & subiectio ferme idem significat, & ad locum à partium, seu formarum enumeratione referri possunt. lege lib. i. de Elocutione cap. 6.

Simplex conclusio est quæ ex necessaria consecutione conficitur; ut si dies est, lucet: uel; Simplex conclusio est enthymema in quo ex antecedente cōsequi aliquid necesse est; ut peperit, igitur cum uiro concubuit. Refutantur argumenta si non necessaria consecutione confecta ostendantur; ut si mater est, diligit filium. Reprehensurus Medeam profert, quæ filium occidit.

Oppositio est argumentatio, in qua ex opposito propositionis ad ipsam propositionem reuertimur.

In oppositione primum aliquid proponimus; deinde per oppositum eius digredimur; postremo ad id quod propositum fuit, reuertimur: ut si eo tempore quo hunc Romæ occisum dicitis, ego in Prouincia fui, relinquitur à me occisum non fuisse. Hæc propositio est, cuius oppositum sequitur. Nā si tunc in urbe fuisset cum occisum hunc esse constat, à me illum interfecit suspicari poteratis. Regressio ad propositionem. Nunc autem, cum eo tempore in Prouincia fuerim, non est cur à me hominem occisum suspicemini. Hæc argumentatio ex repugnantibus sumitur, & eius summa ad enthymema refertur hoc modo; In prouincia fui, cum ille Romæ occideretur; ergo non occidi.

Violatio est concludendi modus ad refellendum, quam ad probandum aptior; in quo ex aduersariorum ratione, non id quod ipsi uolunt, sed quod nobis

biscum facit, sequi demonstramus. Vt non est ducenda uxor, quoniam ex connubio in orbitatem & lulum incidimus; imò ob hoc ipsum ducenda est uxor, quòd alijs liberis procreatis orbitatem tollat.

Collectio est argumentum quinq; partibus constans, propositione, ratione, confirmatione, expolitione, seu exornatione, & complexione. Vt prima propositio, causam ostendemus Vlyssi fuisse, quare interfecerit Aiace. Secunda ratio. Inimicum enim acerrimum de medio tollere uidebat, à quo sibi non iniuria summum periculum metuebat. Tertia confirmatio rationis. Videbat illo incolumi se incolumè non futurum. Sperabat illius morte se salutem sibi comparare. Consueuerat si uire non poterat, quauis iniuria inimico exitium machinare. Cui rei mors indigna Palamedis testimonium dat. Ergo & metus periculi hortabatur eum interimere à quo supplicium uerebatur, & consuetudo peccandi maleficij suscipiendi remouebat dubitationem. Tertia expolitio. Omnes enim cum minima peccata cum causa suscipiunt, tum uerò illo, quæ multò maxima sunt maleficia, aliquo certo emolumento inducti suscipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecunie spes, si complures scelere se contaminauerunt imperij cupiditate, si multi leue compendium fraude maxima commutauerunt, cui mirum uidebitur istum à maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse? Quæ sequuntur. Quinta complexio. Si ergo

ergo pollicitus sum, me daturum causam, qua inductus Vlysses accessit ad maleficium, & si inimicitarum acerrimam rationem, & periculi metum intercessisse demonstraui, non est dubium, qui confiteatur causam malefici fuisse. Hac est collectio quinque partibus constans. Verum cum eiusdem propositionis uariæ esse rationes possint, & singulæ rationes uarijs modis confirmari, & exornatio ipsa copiosè per exempla, similia, prouerbia, atque hoc genus alia locupletari & expoliri queat, prolixa nimirum fiet argumentatio, sic ut complexio ipsa meritò epilogi uice fungatur. Si res breuis est, poterit emitti complexio; si parum locuples ad amplificandum & exornandum, expolitio prætermitti poterit. Quadrimestris collectio est apud Ciceronem pro Ligario. Prima propositio. Ligarius post aduentum uiri, necessitate in Africa, non uoluntate, aut propter alienum à Cæsare animum restitit. Secunda ratio propositionis. Nā si potuisset illinc ullo modo euadere, nō Uticæ potius quā Romæ, neq; cū P. Acti. quā cū cōcordissimis fratribus neq; cum alienis esse quā cum suis maluisset. Tertia confirmatio rationis. Etenim cum ipsa legatio plena desiderij ac sollicitudinis fuisset propter incredibilem quendam fratrum amorem, qui potuit Ligarius a quo animo esse belli dissidio distractus à fratribus? Quarta conclusio, multum igitur habes Cæsar in Q. Ligario si quam alienæ à te uoluntatis. Propositio

ratio autem est, quod sumitur ad probandum. Ratio quæ probat quod propositum est. Confirmatio est ipsius rationis probatio, expolitio, seu exornatio, quæ locupletandæ rei gratia adhibetur, hæc fere constat è similibus, exemplis, amplificationibus, & hoc genus alijs; quæ ad exaggerendam, & collupletandam argumentationem pertinent. Cõplexio, quæ superioribus breuiter repetitis propositionem iterat. Differt autẽ à ratiocinatione collectio; quòd in collectione id ipsum quod proponitur, in conclusione repetitur; in ratiocinatione uerò concluditur id, quod est è præpositione & assumptione confectum.

## Cap. 6. de Peroratione.



**N**Ecessariam esse Perorationem, ex multis possumus colligere; illud autem in primis declarat, quòd si longa Oratione diu detinuisti auditores, & absq; omni repetitione subito obmutescas, resolutione linguæ, aut corporis paralyti, aut tandem graui lethargo oppressus esse uidearis. Ego per pauca reperio in natura quæ subito deficient; sed omnia fere uestigium aliquod prioris substantiæ relinquere. Quid tam euandidum, quàm bulla? Hæc tamen diffusa aquam circinat. Nonne sonitus uehementiores tinni-

tinnitum in aure dimittunt? Sed quæ maiora sunt, manifestius hoc declarant, animalium enim maiorū corpora difficilius resolvuntur; flumina quò maiora sunt exonerantia se in mare, eò diutius fluxum inter ipsos fluctus maris conseruant. Danda ergo opera est, ut commoda Peroratione quod Orator proposuerit, absoluat.

Peroratio tribus partibus constat. Enumeratione, Indignatione, & Conquæstione. Vocantur aliter, Epilogus, Amplificatio, Commiseratio. A nobis addetur *ἐπίλογος*, seu transitio, quæ ostendit breuiter quod dictum est, proponit item breui quod consequatur; cuius pars à *πρόλογος* est, qua aliud principium introducimus *κατάσχεσις*, per quā ab alio recedimus. Ut nihil est à me prætermissum, te ut planè Deiotaro reconciliet Oratio mea. Item. Sed de his hæcenus, omitto reliqua. Superest ut reliquum crimen audiatis.

Enumeratio, seu *ἐπίλογος* est dictorum breuis collectio. Huius uirtutes quatuor; laudatur enim breuis, uaria, dilucida, grauis. Breuis erit, si pauca & præcipua repetat. Varia fit, teste Aristotel. quatuor modis; primo simpliciter, ut docuit hæc & hæc. Secundo, cum quasi differentes nobiscū eadem repetimus. Ut miror equidem quid isti facerent, si manifestum non esset ipsos primùm fidem deseruisse. Coarguuntur enim perfidie propter hæc & hæc. Tertium est per interrogationem; ut libenter ego ab his quere-

rem, cur non seruāt ea quæ promisserunt? neq; enim possūt excusare hoc, aut illud. Quartum, cū quasi consultando alloquimur iudices: ut considerare uos decet, quā nihil unquam mali accepimus, quamdiu istorum amicitiam coluimus. Ipsi enim hæc & hæc fecerunt. Maximè autem congruunt ironiæ per præteritionem, dubitationem, cōcessionē. &c. quòd sint moratæ. Dilucidam enumerationē faciunt uerba dilucida, cum recta compositione. Grauis erit, si habeat allocutiones, uerba grauiā, morales sententias. Enumerationi coniūgunt Græci ὑποχώρησις, seu concessionem: ut relinquo iam communem causam, populiq; Romani ius in uestra fide ac religione depono. Hæc interdum breuis est, & parrhisiā habet, aliquando plenissima conquisitis substantijs & argumentis ad indignitatem.

### De conquestione, seu commiseratione Cap. 7.

Cæterū si Oratio tantūm apud bonos & prudentes haberetur, non esset opus affectibus. Illi enim sola seueritate, non gestu, aut lacrymis commouentur; tamen quia sepe fit, ut quod rectum est, plures non uideant, & ferantur solo desiderij impetu; idē quod rationibus non potest Orator, minis, terroribus, & affectu consequitur. Vnde necessaria est κίχησις, id est affectuum ratio, de quibus paucis agemus.

Perturbationes illæ, motusq; animorum, qui ex aliis

aliqua apprehensione subito oriuntur, facileq; sedantur, πάθη, id est, perpassiones dicuntur, ut ira, metus, libido, gaudiū. Verum ἤθη, id est, mores, habitus sunt animi, tam natura, quam consuetudine comparati. ut audacia, confidentia, arrogantia. &c.

Hæc ambo in Categoria qualitatis ab Aristotel. ponuntur, & Oratori obseruanda esse, idem autor in libris ad Theodectem docet. Et Plato scientiam de anima desiderat in Oratore. Quidam enim animi his sermonibus capiuntur, alij uerò alys. In primis ergo inuestigandæ sunt personarum descriptiones, quarum & mores & studia ob oculos ponantur ad misericordiam.

Personæ sunt, Reus	1.
Aduersarius	2.
Iudex	3.
Nos	4.
Alij etiam extra causam; ut	5.

necessarij, & affines.

1 Pro Cluentio; Omnes scitote iudices Larimates uenisse, ut hūc studio frequentiaq; sua, quantū. &c.

2 At quæ mater? quam cæcam crudelitate. &c.

3 Eadem spe, sed maiore uerecūdia de te P. Volūni.

4. Meumq; una laborem.

5 Orat uos Habitus iudices, & flens obsecrat.

Aliquando εὐχρηστική, id est, misericordia; nonnūquā δὲ ἄσπαστος, id est, indignatio necessaria est. In encomijs cum gratulatione, admiratione, atq; æmulatione, est perorandum, si læta dixeris: si tristia, ut odeant, ut inuideant, ut cōtemnant etiam conabimur.



*De amplificati-  
one. 3. pero-  
rationis part-  
agim. in elo-  
quium. cap. 7.*

In consilijs si mouendi sunt auditores, propone spem  
aut explende cupiditatis, aut iniuria ulciscende. Si  
sedandi animi fuerint, ex periculi spe timorem inij-  
cito: quod dubij fortunæ exitus, incerti casus rerum,  
tam ut retineantur prospera, quam ne moueantur  
aduersa. Sed in iudicijs omnia concurrunt; odium,  
inuidia, amor, misericordia. Ex probitate uitæ, mo-  
rum innocentia, ex grauibus casibus & calamitate  
elicitur misericordia. Odium faciunt improbitas, se-  
uitia, cupiditas, impudentia; inuidiam gratia, & fa-  
cultatum copia; iram læsio. Ergo si excitanda mise-  
ricordia, mores describentur simplices; natura, con-  
ditioq; infirma; lacrymæq; & animi sollicitudo po-  
nentur ob oculos. Si inuidia, talem demonstrabis, qui  
possit iudici propter cõparationẽ inuidiosus appa-  
rere; ut gratiosum, potẽtem, opulentum, eloquẽtem,  
aut aliud simile. Pari namq; ratione inuenies, si im-  
probum impudentem, turpem, & flagitiosum. Quẽ  
si fortem dixeris, continentem, iustum liberalem, hu-  
manum, non poterit non amari. Quæ omnia subie-  
ctione descripta, maximẽ feriunt animum: ac etiam  
multò magis, si excitata Oratione, accommodataq;  
allocutione proponantur; ut indignatione, insulta-  
tione, καὶ ἔρησια, atq; id genus. Dico autem feriri ani-  
mum descriptione seuitiæ, calamitatis, libidinis, iu-  
cundæ etiam cuiuscunq; uoluptatis. Describentur  
uerò hæc, quãtum fieri poterit, uel in dictis eius, uel  
in factis, incessu, uultu, habitu, uitæ totius instituta-  
to.

Risus etiam, qui omnia sepe dissoluit, excitandus  
est,

est, uel ex turpitudine, aut uitio corporis, morū, sermonis, patrie. &c. aut per ironiam, allegoriam, amphibologiam, onomastiam, apologos, prouerbia. Sed cauendum, ne dum uolumus alios facetiis nostros allectos ridere, ipsi simus ridiculi. Ut possis facile hæc omnia tenere, edisces concupiscentiæ partes, & uoluptatis formas. & irascibilis partes, quæ à Platone & Aristotele explicantur. Deinde ut melius affectus moueas, cognoscendi mores hominum; nempe Hispanorum, Gallorum, Italorum. Ut Hispani sunt parci, Galli insolentes, Itali creduli, Germani audaces. &c. de quibus copiosè Scaliger in sua Poëtica.

Exemplum Ciceronis ex Oratione in  
Pisonem. pag. 208.

Quod cum ita sit, mihi crede, neminem inuitus inuitabis; res ipsa. &c.

De partibus Orationis in vnoquoque  
genere causarum. Cap. 8.

**D**emonstratiuo laudantur, uel uituperantur  
personæ, res, facta; ut Annibal, Nero, pax,  
bellum, Sceuolæ, Lucretiæ.

In demonstratione personarum exordia liberiora sunt, quæ beneuolos, attentos, & dociles faciunt; ac sepe ab aliquo affectu ducuntur: ut querela gratulatione, & similibus. Nulla ibi narratio, aut per-

breuis est. Propositio & Partitio ostendent quibus, & quot de rebus, & quo ordine simus dicturi. Loci confirmationis perpetua narratione continentur, qua enumeramus uirtutes, & bona quæ ad imitationem & admirationem proponuntur; aut uitia amplificamus, quæ fugienda sunt.

Sunt autem hi.

Natales, ingenium

Indoles, educatio.

Adolescentia, & reliquæ ætates.

Mors, & quæ mortem sunt consecuta.

In his patria & parentes, maiores, institutio, præceptores, bona animi, corporis, fortunæ, minimè prætermittenda sunt: in quibus explicandis sequemur aut ætatis, aut rerum gestarum ordinem, ut quid puer, quid adolescens, quid iuuentis egerit. Postremò laudes sumuntur ab ijs, quæ post mortem extiterunt; ut ab honoribus, pompa funebri, literarum monumentis. Confutatio nulla est, aut si inter laudandum aliquid occurrerit reprehensione dignum, prudenter excusabis; ut si laudas Dauidem Prophetam, adulterium cæde cumulatam extenuare poteris. Peroratio erit breuis, auditores excitans ad imitationem, aut gratulationem in lætis; ad miserationem, aut consolationem in tristibus.

De Oratione funebri.

In hac iubet Plato primum adferri laudes mortui; moneri uiuentes officij; filios & coniunctos ad uirtutis æmulationem excitari; tandem consolationem

Benè dicitur  
quod ut profu-  
turū, expeti-  
mus: malum,  
quod ut noti-  
surū, fugiamus.

nem adhiberi affinium, aut eorum quos dolore affectos uiderimus.

In laude rerum, ut pacis, eloquentiæ, historiæ, exordia aliquando sumuntur ab insigni aliqua laude eius rei, de qua dicendum est. Interdum reiecto exordio, propositionem narrationis loco adhibemus per commendationem; ut nulli scriptores melius de rebus humanis meriti sunt, quàm ij quorum studio res gestæ superiorum seculorum memoriæ proditiæ sunt. &c. Sequitur partitio, mox confirmatio laudes refert. Argumenta laudum sumuntur ex locis.

HONESTO,

VTILI,

FACILI,

quod antiquitatē,  
originem,

quod utilitatē,  
usum,

quando facilitas  
laudanda, aut dif-

inuentorem,

commoda,

ficultas, prudens

rei dignitatem,

efficta,

Orator perspicet.

causas efficientes, fines,

& definitionē cō-  
plectitur.

partes, quibus, quando, ubi, cur  
utilis sit, docet.

Confutatio iisdem, quibus confirmatio locis utitur, & quæ ab aduersarijs uel obiecta sunt, uel obijci poterant, diluit. Peroratio potissima colligit argumenta, & affectus mouet.

Montes, flumina, naues, &c. qua ratione laudari debeant, docui cap. 4.

Orationis nuptialis, natalitiæ. epithalamij præcepta, tanquam hodie parum necessaria, prætermittimus. Si quando autem casus exposcat, sequere Dionysium Halycarnasseum, ut nos secuti sumus anno 1563. in nuptijs

in nuptijs Illustrissimi Francisci Aragonij Ducis Segobricensis, & Angelæ Cardeniæ. Recitauit Orationem nostram publicè nobilis Michaël Millan auditor noster, nunc Monachus Dominicanus.

In demonstratione factorum multi nostri seculi Rhetores noua exquirunt præcepta; sed, ut uideo, superuacanea sunt. Nam qui de facto alicuius dicit, & de persona dicet: quare personarum & factorum eadem erit laudandi ratio. At dices ubi præcepta uiteruperandi? Ista Christianis necessaria non sunt. Si quis ea uelit, Verrinas, & Philippicas M. Tullyj euoluat.

### De Suasorio. Cap. 9.

**I**N deliberatione finis proponi solet utilitas cum honestate coniuncta, aut dignitas. Profunt hinc uehementer exempla ab historicis petita. Nam futura à præteritis certius colliguntur, & alienæ fortunæ successus animi audientium uel demittuntur, uel eriguntur.

Status sunt, an sit, & quale sit; ut an sit ediscenda Dialectica; & qualis sit, id est, honesta, utilis, necessaria. Exquirimus etiã an fieri possit, an fieri debeat id, de quo deliberatur. An expediat, ut an expediat huic, hac ætate, hoc tempore, &c.

Exordia tractabantur, ut supra docuimus, & præparabitur beneuolentia à nostra persona, &c. aut attentio à rei necessitate, utilitate, periculi magnitudine.

dine. Narrationem tum demum apponimus, cum gestum aliquid erit, ex quo nostra deliberatio nascitur. Sic pro lege Manilla Cicero narrat bellum gericum potentissimis Regibus, unde nascebatur consultatio de Imperatore deligendo. Interdum narrationis loco propositione per amplificationem elata utimur; ut pacem suaseri, paucis proponemus nos de pace humane societatis conseruatrice consilium daturos prodijisse.

Partitio rerum ordinem, de quibus dicturi sumus ostendit.

Confirmationis loci sunt honestum, utile, facile, possibile, necessarium; ad quos reuocantur magnū, piū, æquū, iucundum, tutum. Dehortamur uerò à turpi, pernicioso, molesto, difficili, periculoso. Honestas sumitur ex legibus natura, uirtutum definitionibus. Vnde quæ supra de causis efficientibus diximus, fama, & infamia, multum in deliberando ualent. Exaggerabis utilitatem, & facilitatem; incommoda, & difficultatem extenuabis. Spectatur uerò facultas in circumstantijs. Necessariū reliquis omnibus uehementius urget, & ad utilitatem à Fabio refertur: ut si dicas necesse esse delere urbem, nisi fame perire malint. Confutatio diluit, quæ aduersarius posset obycere.

Peroratio colligit firmissima, & exemplis petitis ex historia hortatur, & affectus mouet. Lege cōciones Titi Liuij.

De Iudiciali Cap. 10.

**I**n iudiciali eadem est exordiendi & narrandi ratio, sed confirmationum loci uarij sunt iuxta statuum uarietatem. Est autem status, seu constitutio id, de quo cōtrouersia est, uel causse summa, ad quā omnia argumenta referuntur. Est autem triplex, cōiecturalis, cūm queritur an sit factum; finitiuus, seu legitimus, cūm quid sit factum: quādo uerò quale sit factum, queritur, uocatur his nominibus iudicialis, status qualitatis, & iūrene, an iniuria sit factum. Nasitur status ex intentione accusatoris, & depulsione, seu defensione rei; ut Occidisti Aiacem Vlysse? nō occidi. Quæstio, an occiderit.

Fecisti sacrilegium Saturnine? non sacrilegiū, sed furtum feci. Quæstio quid fecerit.

Interfecisti Clodiū Milo? interfeci, sed iure. Quæstio, an iure interfecerit.

Vbi iam de statu constat, quod reus adfert criminis depellendi causā ἀίτιοι & ratio dicitur. Infirmatio autem rationis allata, firmamentum, & σὺνέχοι uocatur. Ex ratione & firmamento κρινόμενος, id est, iudicatio, & disceptatio promanat.

Vt intentio; sacrilegus es. Depulsio; non sum, sed fur. Status, quid sit?

Ratio. Rem prophanam sustuli, redditurus quadruplum.

Firmamentum, sed ex æde sacra depositam pecuniam surripuisti.

Indicatio, sacrilegium fecerit, an furtū, qui profanam pecuniam ex æde sacra sustulerit?

In coniecturali statu nec ratio, nec firmamentum quæritur; sed ex intentione & depulsione indicatio constituitur, quæ eadem erit & status, & quæstio. Obseruandum uerò in unaquaq; Oratione, quamlibet longa, semper unum aliquem ex omni argumentorum turba syllogismum præcipuum confici, cuius conclusio, seu complexio status dicitur. sumptio uerò manifesta ἀίτιον, & ratio, quæ controuersa est ἡ ἀπορία, uel iudicatio uocatur. Indicationis probatio συνηχορ, id est, continens, uel firmamentum.

### De locis status coniecturalis.

Coniectura à circumstantijs peti solet; suspicionē autem probamus, quando & uoluisse, & potuisse ostendemus. Vnde sunt loci duo VOLUNTAS, & FACULTAS. Voluntas qualitatem personæ, & causam inducentem ad suscipiendum facinus complectitur. Huius causæ loci sunt duo; impulsio, & narratio.

Ad impulsionem pertinent affectus, ad maleficiū excitantes, ut ira, odium, amor. Hic diligenter personæ attributa spectanda; ut natio, uita integra, uel corrupta studia, natura, affectio animi, habitus corporis, fortuna. &c. Ratiocinatio continet quæstum præmium, spem commodorum, honoris. &c. uel fugam incommodi, infamiae, doloris. &c. Impulsione licebit



licebit appellare argumentum à causis efficiētibus. Ratiocinationem à fine. Probabis ergo Clodium à Milone interfectum, quòd ille solus & ipsum odisset, & potuisset occidere, & ex illius morte utilitatem expectaret. Defensor negabit fuisse causam, si poterit, alioqui eam extenuabit, & iniquum esse dicet, eos ad quos emolumēti aliquid peruenire potuerit, in suspicionem maleficij deuocari. Tū id alijs quoq; bono fuisse, aut alos quoq; facere potuisse.

Facultatis loci sunt; signa, & rerum circumstantiæ, quibus probatur suspicio. Signum est ueluti dictum, aut factum antecedens, uel consequēs, uel cum ipsa re coherens; ut titubatio, trepidatio, pallor, rubor. Circumstantiæ sunt locus, tempus, occasio, spatium, spes perficiendi, & celandi modus, instrumenta, uires.

Qui defendit, duobus utetur locis, absolute, & inuersione.

Absolutio est per quam signum uel causam contra nos allatā diluimus. Ut occidisti, quia sepeliisti; sepelij quidem, non ut factum calarem, sed ut à ferarum laniatione defenderem.

Inuersio, quod contra nos est obiectum, pro nobis facere docet; ut sepeliisti, ergo occidisti. Inuertitur sic; imò si occidissē, nō sepeliissē. Communes sunt loci à testibus, contra testes; à rumoribus, contra rumores; ab argumentis & signis. Autor ad Herennium lib. 2.

## De statu finitio & legitimo.

In statu finitionis post exordium & narrationē facti, propositionem, & partitionem, nostra definitio confirmanda est, tanquam congruens cum ipso facto. Aduersarij ratio resellenda, si falsa, si turpis, si inutilis sit; deinde perorandum.

Cum ex legis, aut scripti alicuius interpretatione controuersia nascitur, legalis status uocatur, ceteri omnes rationales. Legalis species sunt quinque. Prima, contrariarum legum, cum duæ leges, aut sententiæ pugnare inter se uidentur; ut fur suspēdatur, & fur quadruplum restituat. Conciliabuntur, si dicas noua lege ueterem abrogari. Secunda, ex scripto & sententia. Lex est, quæ legatis ferro interemptis statum decernit; Seru. Sulpitius in legatione non ferro, sed labore legationis periit. &c. Tertia, status ratiocinationis est, cum res, quæ propria lege nō est comprehensa, ex alijs legibus propter similitudinem iudicatur. Ut qui patrem interfecit, parricida est, quid si quemuis propinquum? Quarta, status ambigui est, cum ex ambiguo nascitur cōtrouersia. Quidam amico gallum legauit, post mortem eius; heres gallum gallinaceum præbet; ille seruū natione Gallum petit. Quinta translationis, uel commutationis status est, cum reus litem defugiendo, negat, se debere accusari apud hos iudices, hoc tēpore, hoc loco, hac lege, hoc crimine. Quintilianus libro tertio, capite sexto.

## De statu iuridicali, seu qualitatis.

Cōfirmationis loci in hoc statu sunt, natura, lex, consuetudo, æquum, bonum, iudicatum, pactum. A natura, ut Milo maluit Clodium interficere, quàm ab ipso interfici. A lege, ut uim ui repellere licet. A consuetudine, ut licuit semper more patrio uim omnem à capite & uita propulsare. Ab æquitate, seu æquo bono: Quid enim gladij uolunt, si his uti nullo pacto licet? Quis tutò facere iter aliquò posset, obsidentibus uias sicarijs? A iudicatio, seu præiudicio: ut Sæpe iudicant sententys liberatus est, qui ui coactus necem latroni intulisset. A pacto, aiunt cōuenisse inter debitorem & creditorem, ut si intra biennium creditori solutum non sit, ius ei sit grezes debitoris abigere.

Status qualitatis duplex est; unus absolutus, quo ad facti defensionem nihil extrinsecus assumitur: ut Cicero fatetur Ligarium in Africa fuisse, quod ipsa rei natura non erat improbandum. Alter est assumptiuus, quo factum per se improbabile assumptiuus extrinsecus auxilijs tuemur. Assumptiuus status loci sunt quatuor; Cōcessio, Relatio seu translatio criminis, Comparatio, Remotio criminis.

Concessio dicitur, cum reus non defendit factum, sed ignosci sibi postulat; huius due sunt partes, purgatio, & deprecatio.

Purgatio est, cum reus consultò, aut dolo se fecisse negat, animumq; ac uoluntatem excusat. Ea diuiditur

ditur in necessitate, fortunam, & imprudentiam: ut necessitate coactus feci, sicut in lapsum mittebam, imprudens hominem percussis amore, aut ira superatus sum.

Deprecatio est, cum simpliciter misericordiam petat, quem peccasse, & consulto fecisse constat: ut in Oratione pro Ligario.

Relatio criminis, seu translatio est, cum fecisse nos non negamus, sed coactos, aut aliorum peccatis lacestos dicimus: ut Imperator militem occidit, quod in acie exclamavit.

Comparatio est, cum dicimus necesse fuisse alterum facere, & quod a nobis factum est, fati fuisse fieri, ut dux iniquo loco prehensus, impedimentis relictis, exercitum fugi saluum educere maluit, quam nulla spe victorie cum hoste conflare, nunc accusatur.

Remotio criminis est, cum a nobis non crimen, sed culpam amittimus, & peccati causam uel in re quampiam uelati legem, uel in hominem cuius iussu fatemur esse factum, conferimus; ut Seruilius Hala Sp. Melium interfecit, sed Dictatoris iussu.

Remotio criminis, hoc a relatione differt, quod remotione totum penitus crimen tollitur; relatione minuitur tantum culpa rei, aliorum peccatis lacesti.

## De Dispositione secunda Rhetoricæ parte.



Dispositionem ego aliam non uideo, nisi quam supra

præ docui, hoc est, ut primo loco Exordium, secundo Narratio. &c. collocentur. Interdū tamē aut causa aut locus, aut tempus efficiunt, ut hic ordo perturbetur. Prudens ergo Orator intelliget, quando confirmatio narrationi præponi possit. Nec aliam in confirmatione dispositionem requiro. Cicero pro Milone prius confutat, & præiudicijs reum liberat, quàm narrare incipiat. Et pro Sylla confirmationi præponitur confutatio. Argumēta & probationes ita disponentur, ut quæ sint magni ponderis primis & extremum locum occupent; probationes infirmæ in medium agmen conijcientur, ut ab Imperatoribus acies instruitur. In demonstratiuo persone discrimina ætatis indicabunt ordinem.

In demonstratione facti, & in delib<sup>er</sup>atiuo, primo loco honestas, secundo utilitas, tertio factilitas apponetur.

Nunc ad Elocutionem ueram Rhetoricæ partem nostra conuertatur Oratio.

FINIS.



# Secunda pars

RHETORICAE LAURENTII

Palmyreni, in duos libellos distributa: quorum  
prior Elocutionis præcepta; alter  
exercitationem & exempla  
complectitur.



VALENTIAE.  
Ex officina Ioannis Mey.

1567.



Amplissimo &

ILLUSTRISSIMO

IUVENI D. D. HIERONYMO

Corellæ & Mendozæ, Comi

tis Cocentaynæ filio hæ-

redi. &c. Laurentius

Palmyrenus Ὑγιαῖνδρ

καὶ ἐν πρᾶτ' ἰψ.



ALEXANDER

Macedo quum ab in-  
eunte ætate res maxi-  
mas gerere cœpisset,  
& exercitum alacer  
& exultans in expedi-  
tionem educeret: inter  
Magneſiam & Theſ-  
ſaliam fontem Libe-  
thram Muſis ſacrum

reperiffie perhibetur. Cum autem hunc incredibili  
quadam, ac penè diuina letitiæ uoluptate conſpi-  
ceret, in fontis angulo Orphei ſtatuum erectam ui-  
dit. Stetit diu cogitabundus, & quaſi extra ſe poſi-  
tus Rex, dum canam caſariem uiridi laurea orna-

tam

Eam intuetur, dum in mentem reuocat quàm multa  
 in huius Poëtæ commendationem essent ab Aristoteli  
 magistro pronunciata. Sed ecce tremèdum uisu, Or-  
 phei simulâchrum multo sudore manauit, & admi-  
 rationem illam Regis in stuporem quendam & hor-  
 rorem conuertit. Accersuntur aruspices, aduocâtur  
 arioli, & augures; consuluntur deniq; studiosissimi  
 Philosophi, ut maturo iudicio exquirant, an hi su-  
 dores afflictam Regiam conditionem declarent; an  
 fortasse portendant de fortunis communibus exti-  
 mescendum: quoniam hoc ita erat inusitatum, ut an-  
 te illud tempus non esset auditum. Aruspices uerò,  
 qui uigere in animo Regis non uiriles tantum, sed  
 humana uirtute augustiores spiritus apertè conspi-  
 ciebant; illum maiori rerum imperio destinare mi-  
 nimè dubitarunt. Dicebant enim, hi sudores, si ausu  
 aperire fata uolueris, tibi multa, ô Rex magnanime  
 pollicentur: sudabunt enim studiosi, qui tuum hoc  
 iter, tuas uictorias, & celebres triumphos styli leno-  
 cinio futuræ posteritati cõmendabunt. Id de te non  
 uana auguria sudantis Orphei, responsa uatum, &  
 antiqua carmina diuino sacratorum hominum in-  
 genio conscripta prænunciant, iubentq; te explica-  
 re uela, ut quò fata uocant, in altum ad quærendos  
 immortalis gloriæ titulos feliciorè aurâ proueha-  
 ris. Hæc ipse reputans, & dies & noctes cogitans  
 CORELLA illustrissimè, & auos & proquos tuos  
 tū paternos, tū maternos animo meo lustras, cogno-  
 sco multò maiorè sudandi ansam studiosis oblatâ es-  
 se, si quis Corellas, & Mèdozas naualis, aut terrestri

Statua sudans

Interpretatio  
sudoris.



prælio insignes uelit depingere. Profecio tot res & tã  
 tas domi forisq; gesserunt; tot populis iustũ bellum  
 intulerunt; tot supplicibus præidio salutiq; fue-  
 runt; tot urbes expugnarunt; tam longè lateq; Im-  
 perij Tarraconensis fines protulerunt; leges tam u-  
 tiles, tamq; salutare sanxerunt; ut si tu cum ætate  
 processeris, eorum uestigia persequi, aut etiam cum  
 illis certare uolueris; non sit metuumdum ne non  
 quãtò illi superioribus præstiterunt, tantò tu illis  
 antecellas. Omitto nunc Briandam Mendozam a-  
 uiam tuam tuam unicum sexus fœminei Hispanici  
 ornamentum. Non dicam de matre tua, que tanta  
 pulchritudine & tam iuuenilibus annis Portiã Ro-  
 manam, aut Martiam referebat; & in ipso ætatis  
 flore tam æquo animo in fatũ concessit. Quis non  
 sudabit, si uelit Bernardini Mendoze aui tui res  
 præclare gestas depingere, & pro dignitate tracta-  
 re? Hunc Classis Hispanice præfectum uidimus. Hu-  
 ius prudentiam singularem Carolus 5. sæpenuero  
 laudauit; huius fidem, & diligentiam magni fecit;  
 nos studium erga Reipublicam admiramur. Vidi,  
 uidi ipsum letus & exultans; quando illum exuuijs  
 nauticis, & Classis Turcicæ spolijs ornatum Valen-  
 tia nostra conspexit: quando Mentiam Mendociã  
 Calabriae Ducem salutauit; quis non illius diei fœli-  
 citatem summis præconijs iactat, ornat, exaggerat?  
 Equidem non in infima fœlicitatis mee parte duco  
 quòd semel illius colloquio frui potuerim. Sum enim  
 eo die omnium bonorum aceruum consecutus. Viti-

Bernardinus  
 Mendozæ.

nam *etas* ista tenella permisisset, ut tantum Heroæ proprijs oculis cernere potuisses: uidiſſes profectò alterum Pandoræ maritum. Deum immortalem, Quis hominum mores, & motus; quis animantium naturas; quis sola terrarum; quis æstus, & fluctus marinos; quis uentorum flatus; quis nauigandi pericula, tempeſtatesq; aduerſus; quis temporum uarietates; quis præliorum rationem; quis urbium oppugnationes; quis acies instructas; quis Imperatorias uirtutes; quis formam bene moratarum ciuitatum; quis deniq; omnium rerum, quæ hac uniuersitate continentur, uarietatem, melius unquam Bernardino cognouit? De inclyto Franqueuile Duce & Melitè ſi Principe auunculo tuo nihil dicam, ne in uasto Oceano uela pandere nauigationis totius experis uidear. Ad Corellas Cantabriæ totius decus & gloriã accedamus. Diſpeream ſi quidquam uel legi, uel uidi illuſtrius. Primus ille qui Conſtanea tanquam uirtutis ſuæ premiũ accepit, Regi ſuo chariſſimus ſerpentem Hieroglyphicum, & inſigne Aegyptiorum adeptus eſt, quo ſuam famam immortalem ſuture poſteritati aperuit. Vir enim Principe ortus familia maiorum ſuorum uirtutis & gloriæ nequaquam oblitus fuit, utpote qui ad antiquum inclyte domus decus, bonis instructus artibus aſſeriret. Religioni uerò illum admodũ deditum fuiſſe, cum multa alia, tum potiſſimum templa iſtius oppidi tam eleganter ornata declarant. Vaſa quoq; aurea, & argentea ad rei ſacræ uſum, & diuini cultus ueſtes,

Tota regio in qua ſita eſt Carthago noua, Conſtanea dicitur. præſebens Cœcentaria.

innumerabilibus margaritis exornatæ, in quibus o-  
 perosis artificum texturis, pictæ ac diuinarum re-  
 rum imagines uisuntur. Ita factum est, ut oppidum  
 quod à Iacobo Rege Aragonio pro tot laboribus  
 in profligandis Sarracenis susceptis, accepit, omniũ  
 rerum copia, diuino fauente numine, redundaret.  
 Nam Cocentayna solum frumenti atque hordei fe-  
 rax est, & passim herbidũ, unde ceræ ac mellis ma-  
 gna copia, & ex armentis præcipuæ facultates. Tã-  
 ta uero est ibi auræ tranquillitas, ut hyberni dies  
 perpetua aëris serenitate uernis, æstiuisq; persimi-  
 les, efficiant ut incolæ omni rerũ copia florida hye-  
 mis beneficio plurimũ abundant. Ea etiam est cæ-  
 li clementia, & peramena temperies, ut non modò  
 proceres, uerũ & ipsa agrestium hominum turba  
 hortorum & beati soli amenitate capiatur. Quod  
 quidem in agris uicinarum haudquaquam contin-  
 git: nam cum introrsus processeris, quantumuis fru-  
 mentum copiosè proueniat, tamen solum uidebitis  
 uitium, pomorumq; & melioris frugis impatiens,  
 quod terra omnis Aquilonis flatibus exposita, &  
 perpetuis inculta frigoribus non multũ agricultu-  
 ra subleuatur. In isto amœno agro te equitandi &  
 decurrendi agilitate atque peritia admirabilem, &  
 uaria uenatione, falconumq; uolatu & præda gau-  
 dentem uidi, quando honesta atque utili contentio-  
 ne corpus alioqui terellum exercebas. Quoniam  
 autem tunc indoles bellicæ uirtutis in te appare-  
 bat,

Cocentayna  
 amenitas.

bat, literarum studium nullum, aut certe perexi-  
 guum: ego qui Musis tantum, non Marti litare so-  
 leo, per annos octo integros silui: nec tuam ambiens  
 nec fugiens amicitiam. Cum autem nuper iussu illu-  
 strissimi patris tui periculum facerem tuæ erudi-  
 tionis; ac te literis Græcis uehementer excultum, &  
 magnitudine animi tua stirpe minimè indignum a-  
 gnoscerem, uix me continere potui quin de arte di-  
 cendi præcepta per breuia in tuam gratiam collige-  
 rem, & collata exemplis illustrarem. At inquit: for-  
 tasse; ad eone tibi præceptore bono destitutus ui-  
 deor; aut tantum otium tibi à primæ Classis præle-  
 ctionibus est, ut ingenij mei excolendi curam susci-  
 pias? Noui quidem præceptorē tuum singulari uir-  
 tutis atque pietatis laude florentem; cui si aures  
 præbueris, & tibi, & tuæ Cocentaynæ præclare  
 consules, Comitibusq; decus, & dignitatem egregie sus-  
 tinebis. Nullus enim est hodie inter præceptores  
 qui uirtutem laudauerit ornatiùs, uitia uitupera-  
 uerit acerbùs, ad omne genus probitatis ardentius  
 inflammarit. Verùm quemadmodum qui rei augen-  
 dæ uehementer intenti sunt, quamuis diuitias ingen-  
 tes domi congestas habeant; non tamen aurum &  
 argentum aliunde importatum repudiant; & quo  
 ditiores sunt, eò maioribus accessionibus opes suas  
 augeri et cumulari desiderant: ita studiosi quorum  
 græa magis est in ingenij bonis, quam in ma-  
 ximo auri pondere collocanda, quamuis &


EPISTOLA.

præceptoribus, & libris abundant: nullo tamen  
modo, si qua fiat ad eas diuitias,  
quas ipsi omnibus alijs anteponunt,  
accessio, id aspernari debent.

Vale, Valentie nonis

Iunij.

1565



# Palmyreni de

ELOCUTIONE LIBER

PRIMVS.

Cap. I. de Elocutionis & Eloquē  
tiae dignitate, definitione, &  
distributione, &c.



**A**N T A est Orationis elegāter  
excultae uis, tantus splendor; ut  
quò magis eam auscultes, diligen-  
tiusq; eius formam & dignitatem  
contēpleris, eò formosior atq; au-  
gustior appareat: quòd autem à  
nonnullis contempta hactenus fuerit, quòd tātā sit  
in quibusdam studiosis dicendi inopia, tam miseran-  
da infantia, tam pudenda balbuties; nequaquā de-  
bet hoc tātā rei dignitatem labefactare. Non enim  
ab ipsa, sed ab alijs hoc malum proficiscitur; ut ego  
enumeratis causis explicabo. Primam ergo causam  
esse puto, quòd eloquentes aliquot nostri seculi ar-  
rogantes & tumidi, reliquos aut superbè fastidiunt  
aut acerbè reprehendunt. Sic olim apud Romanos  
rem Medicam perdidit improbitas Archagati Pello-  
ponensis Lysanie filij: cuius aduentus initio cunctis  
mirè gratus fuit; mox in tedium uersus, seuitia, im-

Cur pauci elo-  
quentes.

Arrogantia.

portunitateq; cum exurendi, tum secandi vulnere,  
 carnifex appellatus est. Quare si isti Ciceroniani  
 blandis uerbis alios allicerent, fortasse & breuius &  
 commodius quod uolunt assequuti, Romane termi-  
 nos eloquentie longissime protulissent, ac Francisci  
 Philelphi & Angeli Politiani ineptos flosculos ad-  
 amassent. Alteram huius mali causam comperio,  
 quadam ex parte omni remediorum genere destituta  
 tam, quod in sola pertinacia huius tanti mali cau-  
 do collocetur. Quidam enim primum ante tenentur  
 astricti, quam quid esset optimum iudicare po-  
 tuerunt: deinde infirmissimo tempore etatis, aut ob-  
 sequuti amico cuidam, aut una alicuius, quem pri-  
 mum audierunt, Oratione capti, de rebus incogni-  
 tis iudicant, & ad quamcunq; sunt disciplinam qua-  
 si tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum ad-  
 herescunt: & nescio quo modo errare malunt. eamq;  
 sententiam, quam adamauerunt, pugnacissime defen-  
 dere, quam sine pertinacia quid dicatur, exquirere.  
 Postremam minimeq; contemnendam causam esse  
 censeo quorundam importunas preceptiones. Nam  
 difficultate institutionis tam numeroe atq; perple-  
 xe deterrentur iuuenes, aut eo tempore quo precipue  
 alenda ingenia atq; indulgentia quadam enu-  
 trienda sunt, asperiorum tractatu rerum atterun-  
 tur. Via profecto desideratur incipientibus plana,  
 & ad ingrediendum, & ad demonstrandum expedi-  
 ta in hac presertim re, quae tantum habet difficul-  
 tatis. Inuentio enim & Dispositio, interdum solo na-  
 iura & prudentie adiumento comparantur: at

*Pertinacia.*

*Precepta abs-  
 que methodo  
 & exemplis.*

*Difficultas  
 locutionis.*

qui excultam Orationem absq; præceptore adeptus fuerit, repertus est nemo. Ad hæc, in alijs partibus tantum quærit Orator quid dicat, & quo loco: in elocutione uerò, quonam modo, quod est haud dubiè difficillimum. Auget etiam huius rei difficultatem, quòd uarij sint auditores. Lumen uerborũ, uolubilitasq; cordis est nonnullis. Alij in sola celeritate eloquentiam constituunt; distincta alios, & interpuncta, interualla, moræ, respirationesq; delectant; quid potest esse tam diuersum? Acutè exclamabat ille, disertos se uidisse multos, eloquentem uerò neminem. Nos tamen nequaquam hac difficultate deterrimur, sed potius ad rei præclaræ explicationem accendimur, quandoquidem difficilia quæ pulchra; & Orator qui partes alias teneat, eloquens appellari non potest, nisi elocutionem adeptus fuerit: ab alijs partibus non inuentor aut dispositor dicitur: sed ab hac tertia eloquens appellatur; & inde eloquentia nomen sumit. Eloquētia uerò nihil aliud est, nisi copiosè loquēs sapientia. Quāti etiā momēti sit hæc facultas, hoc declarat; quòd cum ratio & Oratio à Deo Opt. max. nobis concessa efficiant, ut brutis lōgè antecellamus: sola Eloquentia nos supra cæterorum hominum conditionem attollat. Vnde nō temerè M. Tullius ad eam comparādā optat Oratori suo acumen Dialecticorũ, sententias Philosophorũ, uerba propriè Poëtarum, memoriā Iurisperitorũ, uocem Tragediarum, gestus summorũ pene actorũ. Mirabili sanè compacta est artificio. Nam ea pars qua sustinetur, uim habet incredibile. Dij, ut inquit

Quid sit Eloquentia.

Oratoris ornamenta.



*Imago Elo-  
quentia.*

*Lege præfa-  
tionē Calv. se-  
cundi in Ora-  
tion. pro Mi-  
lano.*

*Cur Elocutio  
propria Rhetor-  
is.*

Aristides, ossa, homines inuentionem appellauere: Inuentioni dispositio inheret, quam nervos dy uocant. His superinductum est eximiū quoddam quasi tectorium, quod illi cutem, nos elocutionē dicimus: & quando sine anima nihil moueri sua sponte potest, sine motu autem nihil uiuū probamus, accessit illis, actio pronuntiatioq; quasi spiritus quidā uitalis: qui nullo melius potuit uinculo contineri, quā eo. quam nos memoriam, thesaurum ac promptuarium rerum optimarum appellamus. Hæc est eloquentiæ imago, uel à Mercurio, uel ab Aristide acutè inuenta; quæ profectò si aliquando sub aspectum nostrum uenire possjet, & discussa caligine mortalitatis nostræ, sese oculis posset offerre, mirabiles sui amores in animis nostris accēderet. Hinc enim sunt illa à ueteribus huius tantæ rei contemplatione stupefactis, pronuntiata: Oratio regina rerum & flexamina est, πικρὸν templum habet prope πικρῶν. Suda da medulla in labris Periclis, & Cætegi sebitauisse dicitur. Mercurius Cyllus dictus, quòd sine manu polleat. Hinc Hercules Ogmius apud Celtas, claua oleagina, & lingua catenulis uincta mortales trahit. Pericles & Archidamus luctantes pinguntur. Protagoras τὸ μὴ ἦν τῶ λόγου κρείττο ποιῶν. Sed iā ut ad elocutionem ipsam explicandam accedamus, obseruandum est, cur antiqui Rhetores tertiam hanc partem propriam Orationis esse uoluerint. Ego sanè quanquam multa possem adducere: tamen hoc unū addam; nempe inuenire & disponere ad alios etiam artifices; eleganter autem, & planè, ac Latine, de re qualibet

qualibet dicere, ad solum Oratorem pertinere. Nā  
 Græci κτῆσις ex eo dixerūt, quod κτῆσις dictio sit, &  
 Homerus Phœnicem dicit datum Achilli, κούρου τὴν  
 ἐκτῆρ' ἐμμεναί πρηνὶ κτῆρά τε ἔργων. Et cū M. Antonius  
 dicebat, se disertos uidisse multos, eloquentem uerò  
 neminē: Sic intelligebat, diserto satis est dicere, quæ  
 oporteat: ornate ac mirifice proprium est eloquen-  
 tis. Finem faciam, si hoc unum addidero: nempe elo-  
 cutionis studiosum esse non posse qui cauzelia ue-  
 xetur; quo uitio nihil fœdius, aut perniciosius ad pa-  
 randam eloquentiam esse potest. Nam quā difficile,  
 & absurdum, aut potius tardum sit, per aliena  
 uestigia excurrere, declarant uolitantes auiculæ; illæ  
 enim quibus cælum & solum omne peruium dedit  
 natura, degenerant, postquam in cāuas detruse sunt,  
 ut aliens, non suis moribus assuescant. Accipitres  
 uerò qui Heroum manu gestantur, & cibum habēt  
 paratum, & aura & campo liberiore utuntur, ge-  
 nerosiores & nobiliores cuiusdam spiritus esse cer-  
 nuntur. Sic eloquentiæ studiosi aliquot degenerant,  
 dum fucatam Orationem Caurozelij & antiquarij,  
 aut uersicolorem illam Demetriij Phalerei uestē ex-  
 quirunt, aut emblemata uermiculata tantopere à  
 Lucilio reprehensa, turpiter admirantur. Hi dum  
 se torquent in uerbis colligendis, & anxij in minu-  
 ta aliqua syllaba uolitantur, herent pauidi, & suā  
 inopiam declarantes, hoc unum assequuntur, quod  
 Teophrastus apud uetulam Atheniensem adeptus  
 est. Quare te moneo & hortor studiose adolescens,  
 ut res ac sententias in primis habeas comparatas;  
 quod

Disertus.  
 Eloquens.

Tradendam  
 esse elocutio-  
 nem ante in-  
 uentionem de  
 ut streuitus  
 libr. I. de elo-  
 cutione Orato-

quod poteris assequi multa lectione cuiusq; autoris  
deinde ad Ciceronis manum tanquam accipiter cō-  
uolabis. Ex cuius lectione præcepta sequentia dedu-  
ximus.

Elocutio est Orationis exornandæ ratio. Huius  
partes sunt: Elegancia, Dignitas, compositio.

Elegancia est Orationis uirtus; quæ facit, ut u-  
numquodq; uerbum purè, aperteq; dici uideatur.

Elegancia Grammaticorum est; constat autē La-  
tinitate, & perspicuitate. Latinitatem assequimur,  
si uocabula sint Latina; nempe ex Cicerone, Cæsa-  
re, Virgilio, & Terentio desumpta. Vitiatur uerò

Latinitas

Barbarismo, Barbaralexi, & Solæcismo.

De sententia omnium eruditorum Barbaro op-  
ponitur Latinitas; quæ constat regula, analogia, au-  
toritate, & cōsuetudine: & Marius Victorinus La-  
tinitatem esse ait, obseruationem incorruptè loquē-  
di, secundum Romanam linguam.

Barbarismus fit scribendo, uel loquendo; nempe  
detractione literæ; ut lutus pro luctus; additione, ut  
cassus pro casus; immutatione, ut butirum, pro bu-  
tyrum; transmutatione, ut Hieronymus pro Hiero-  
nymus. Accentu qua ratione possit Latinitas per-  
turbari, notum est; ut docere pro docere; cōfuto, re-  
futo media breui; cum tamen longa sit apud erudi-  
tos.

Barbaralexis est si dicas bladum pro frumento,  
aut aliam uocem Romanis ignotam usurpes.

Solæcismus est, quando uoces Latine & elegan-  
tes

Etymologiam  
& historiam  
barbarismaba  
bes apud Ioã-  
nē Picardum  
lib. 5. pa. 192.  
de Frisca Cel-  
topedia.

Est impar &  
inconueniens  
partis oratio-  
nis cōpositio,  
ab alijs impa-  
ritas & stri-  
bligo dicitur.

tes sunt ; sed substantiui & appositi concordia , uel genere, uel numero, uel casu perturbatur ; aut quæ sequuntur cum superioribus non coherent : ut in simplicibus uerbis quod non est Latinum ; sic in cōiunctis quod non est consequens, uituperandum est. Quam fugienda sint hæc uitia, potissimum Grammatico, docet simile illud quod usurpauit Cicero scūd. Tuscul. ut enim si Grammaticum se professus quispiam Barbare loquatur : sic &c. Barbare non pure, inquinatè : Gellius tamen rusticè loqui interpretatur.

Perस्पicuitas est , quando uerba propria aptè in Oratione coniunguntur. Vitiari autem solet Acyologia, Amphibologia, Eclipsi, Macrologia, Brachylogia, Hyperbatè, Synchroni, Pleonasmò, Perissologia, Tautologia, Tapinosi, Cacephato, Aeschrologia, Aschematismo, Omæologia, Pichilogia, Soraismo. Hæc à Donato & alijs Grammaticis explicantur : nunc de eadem elegantia & Grammaticorum & Oratorum more differemus.

*Virtutes Orationis tres sunt,*

*nempe ut sit*

**Latina,**

**Perस्पicua,**

**Ornata.**

*Vicia his virtutibus con-*

*traria.*

**Barbarum,**

**Obscurum,**

**Ingratum.**

**Cap.**



Cap. 2. de Elegantiâ, prima Elocutionis parte.

**E**legantia sita est in uerbis simplicibus, aut cōiunctis: simplicia aut sunt natiua, aut reperta. Natiua sunt cum ipsis rebus nata: ut scamnum, fenestra. Reperta uerò, aut modificata sunt necessitatis, aut uenustatis causa inuenta: ut uertex mōtis, pes lecti; de quibus agemus in Tropis.

Natiua illa deligenda, quæ non sint sordida, obscœna, inusitata, agrestia; aut ut iam supra admonuimus, Barbara. Verba autem noua interdum usurpare licet, ut docet M. Tullius. i. de natura Deorum.

Sunt enim rebus nouis noua ponenda nomina. item in Academicis edit. 2. lib. 2.

Aut noua sunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex alijs transferenda.

Bartholomæus Riccius longiores Periphrases usurpat, ne uoces nouas admittat: nam tintinnabulū effugiens, dixit; Vasa aenea altissimo in loco posita, quorū creberrimis ictibus, aliquid longinquis significatur: idem ne stapedam diceret, dixit. instrumentum quo pedes sustinet eques; & quod ab Hispanis dicitur, asnillo del fuego, dixit; tripus focularis, quo ad ligna utimur sustinenda.

Iacobus Strebæus sic caligas expressit: non erant Romanis tegumenta crurum & femorum, quæ caligæ appellantur.

Los grandes de Castilla jugaron a cañas quando nascio el Principe. Eius nuntij letitiam celebrare insignes Hispaniæ reguli, magnificentissimo apparatu arteq; mirabili, ad equestris pugnae simulachrū, Maurorum iaculatorū cultu, in scuta passim coniectis arundinibus decurrentes.

Ludicra ha-  
statorū certa-  
mina las in-  
stas.

Cæterum in nominibus oppidorum, si non occurrant uetera, usurpabo libenter noua. Sit exemplū; Alicante dicitur Alone; Teruel Tiar, Julia. At si non reperirem apud Cosmographos, mallem dicere Teruelium, quàm Turolium, ut Barbari uocant. Est iuxta patriam meam ignobilis pagus: uocatur ab Aragonijs Valdargorfa; consului olim puer meum præceptorem; respondit appellari Valdargurpham. mihi sanè non probatur. Nam Catarroja pagus in agro Valentino Cosmographis ueteribus ignotus, magis Latine dicetur Catarruja, quàm si o uocalis penultima seruetur?

Haftenus de uerbis nouis, nunc de Græcis & alijs agemus. Græca Latinis immiscere interdū licet. Siquid occultare uolumus; si nostris uenustiora sunt hellenica; si scriptoris Græci uerba recitamus; si uostra desunt; aliàs non minùs fugienda, quàm Barbara. Agrestia aliquādo mollia per syncopen redduntur: ut secla pro secula, duum uirum, pro duorum uiorum; sestertium nummum, pro sestertiorum nummorum; uincla, pro uincula; nescio, pro non scio, lege de Oratore ad Brutum.

Inusitata quàm sint fugienda, docet Cæsar, cum ait: uerbum insolens & antiquatum tanquam sco-

Gellius lib. 12  
cap. 10.

pulum in Oratione fugiendum esse censemus: ut si quis hæc uerba usurpet; opulescere, pauperare, paucies, latibulare, multoties, ignauire, &c. Qui hæc usurpant ita demum sibi uidentur ingeniosi, si ad ipsos intelligendos opus sit ingenio; ut apparuit in Epistola quam Andreas Alciatus recitat lib. de uerborum significatione, quæ est huiusmodi. Pegasus tuus, qui me tollutim succussit, apud Campanæ peluis coppam erit, inde petito, phoretumq; ex eo die præcidito.

Quare reiectis inusitatis propria usurpabo, nã ut ait Cicero; in proprijs est uerbis illa laus Oratoris, ut abiecta atq; obsoleta fugiat, lectis atq; illustribus utatur, in quibus plenum quiddam & sonans esse uideatur. Verborum ergo illustrium copia paranda est, si eloquentiam desideras. At dices: Copia uerborum teste Cicerone. 1. Oratorio ad Q. fratrem, fugienda est, malè ergo à te hoc loco commendatur? Cicero; Solebam eam rem ipsam quam legissem, uerbis alijs quam maximè possem lectis pronunciare: sed post animaduerti hoc esse in hoc uitij, quòd ea uerba quæ maximè cuiusq; rei propria, quæq; essent ornatissima, atq; optima occupassent Ennius, si ad eius uersus me exercerem; aut Gracchus, si eius Orationem mihi fortè proposuissem.

Paulò post.

Ita si iisdem uerbis uterer, nihil prodesse; si alijs etiam obesse, cum minus idoneis uti consuecerem. Hæc Crassus. Sed nos in pauca cõferamus more Dialectico, ut res magis illustretur.

*Si utimur iisdem uerbis, nihil proficimus: si alijs, minus idoneis uti consuescimus.*

*At iisdem, aut alijs uerbis utimur?*

*Quare in hoc genere exercitationis, aut nihil proficimus; aut minus idoneis uti consuescimus?*

*Respondeo.*

*Crassus hoc loco audiendus non est, possumus enim alijs uerbis uti, tam idoneis, & illustribus, quam ipse autor usus fuerit, uerè enim dixit Fabius lib. 10. Neque natura tam ieiunam, aut pauperem fecit eloquentiam, ut una de re nisi semel dici non possit. M. quoq; Tullius suam sententiam non expressit, sed Lucij Crassi, cuius personæ in hoc Dialogo seruebat. Ceterum approbatam esse ab omnibus Oratoribus copiam, indicat figura quæ ab illis uocatur Cōmoratio: nam fit cum res eadem alijs uerbis iteratur. Hanc autē omnes Rhetores probant. Cum M. Tull. laudat Archiam Poëtam, copiam uerborum in eo maxime commendat, sic enim ait: Quoties uidi reuocatum dicere eadem rem commutatis uerbis atq; sententijs. Quin & Plutarchus in uita Ciceronis ostendit; M. Tullium cum Mimo Roscio certamen inire solitum, an gestu Roscius Orationem magis uariaret, quam M. Tull. uerbis? In Bruto seu de claris Orat. apertissime copiam laudat, in hunc modum: Itaq; in Curione uerè hoc iudicari potest, nulla de re una Oratorem magis commendari, quam uerborum splendore & copia. Vtilis ergo est uerborum copia cum ad alia multa, tum potissimum ad hæc quatuor,*



*Copia qualis  
esse debeat.*

*Quibus mo-  
dis hac facul-  
tas pareatur,  
docet Fabius  
lib. 10. cap. 5.*

ad Latinam, emendatam, perspicuam, ornatam Tadi-  
tionem dicendi; deinde ad vitia elocutionis emendanda;  
ad hanc, ad extemporalem facundiam comparanda: tandem ad exponendos, & intelligendos aut  
res. Nolim tamen lector amice, ut tibi persuadeas, libertatem illam nobis probari qua usus est Erasmus Roterodamus. Ridiculam enim mihi videtur per metalepsin Poeticam, per onomatopœiam & catachresin, locupletare Orationem, uitiata ac deprauata Romani sermonis puritate. Nec arbitror laudandum esse uariandi genus, quod ille ex Suetonio colligit, cuius phrasæ & loquendi formulæ ex dia-  
metro cum Ciceronians pugnant. Itaque dum uerborum copiam laudo, illam intelligo quæ passim in Ciceronis Orationibus elucescit, & hisce figuris comparatur: Synonymia, Enallage quæ fit per heterosin & antimeriam; Antonomasia, quæ Synecdoche aliter dicitur; Periphrasi, quæ constat etymologia, notatione, finitione; Metaphora; Isodynamia; Metonymia; Auxesi; Hyperbole; Compositione, quæ fit Asyndeto; Polysyndeto; Syzeugmeno. Quæ fit syntaxi, inepta est: nam quæ copia erit, si dicas, scripsit mihi, scripsit ad me. Mutatione figura, id est interrogatione; ironia, admiratione, dubitatione, adiuratione, abhominatatione, exclamatione, occupatione, uel paralypsi, & subiectione; de quibus mox agemus. Nunc ad rem ipsam & susceptum argumentum reuertemur. Parandam esse uerborum copiam dicimus: sed hac lege: ut quando opus fuerit delectus, intelligi-

*Intelligas, quae sint*

*Pudica.*

*Nitida.*

*Vsitata.*

*Latina.*

*Vrbana.*

*Sublimia.*

*Gravia.*

*Propria.*

*Vetera.*

*Sonantia.*

*Grandia.*

*Tarda.*

*Leui.*

*Obscœna:*

*Sordida.*

*Inuitata.*

*Barbara.*

*Agrestia.*

*Humilia.*

*Leuia.*

*Assumpta.*

*Novi.*

*Exilia.*

*Parua.*

*Volubilia.*

*Aspera.*

Hæc explicantur à nobis in Dialogo Hispanico, & à Streb. l. lib. de electione Oratoria. Si quando autem argumentum, quod tractandum susceperis, coget uel inuitum, obscœna explicare, hac forma uti poteris: Vos date quæso hoc, & concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim.

*Formule aliquot quæ uerecunde res obscœnas declarant.*

Hac excusationis formula utor ego, quando in prælectione aliquid puerili educatione indignum occurrit.

Peto autem à uerecundo auditore, ut quoties tales loci occurrent, qui ad pueriles illos & flagitiosos amores pertineant, dent mihi hanc ueniam, ut uel strictim attingam, uel omnino tacitos prætermittam.

Omnia præteribo quæ mihi turpia dicta uidebuntur; neq; solum quid istum audire; uerum etiam quid

B s me

me deceat dicere considerabo.

Si etiam hoc tibi negabitur, utere periphrasi uo-  
recunda, aut metaphora, aut allegoria.

Humilia uariis  
modis sunt  
grauia

Sunt quaedam humilia; ut amor, aqua, lapis: gra-  
uia autem, charitas, unda, saxum: sunt tamen uariis  
modi quibus ex humilibus possis grauia efficere.

1. Modus est  
per synonymiam

Humilia.

Grauia.

2. Per compa-  
rationem.

Acer ————— per comparisonem acerrimus.

3 per Meta-  
phoram.

Cupiditas ————— per metaphoram ardor.

4. Per auxe-  
sim.

Pauper ————— }  
Amor ————— } per auxesim — } nudus.

5. Per epithe-  
ta.

Ignarus ————— }  
Grande ————— } Per epitheton } ignis.

Immania ————— } } cecus.

} } crimen.

} } pocula.

### Cap. 3. de elegantia in verbi coniuñctis.

**P**ARATA iam materia, delectis ad ædificium la-  
pidibus, sequitur structura: in qua laborandū  
est, ne partes perperam coniungantur. Hoc tibi ala-  
ta mente repositum maneat.

Non quæuis dictio uerbo iungi potest, quantum-  
uis eam Grammaticorum canones admittant. Nam  
ago agis accusandi casum efflagitat; at non dices a-  
gere uerba, sed facere uerba.

De conuerten-  
datione 128  
epist. 6. el. secū

Memineris etiam interdum uocem non in loco  
posita uitiare Orationem; ut quid sibi uult hic ho-  
mo? eleganter dicitur. At si dicas, quid sibi uult hic  
mortalis? risum lectoribus excitabis.

Barba

Barbarica phrasi omnem pervertes Latinitatē,  
 si linguam Latinam ad idioma uernaculum detor-  
 queas. Si quis hæc uerba Hispanica in Latinum ser-  
 monem conuertat. Dixit que era necesidad aguar-  
 dar que el numero de los enemigos creciesse. Dice-  
 bat magnam esse insaniam expectare ut numerus  
 hostium cresceret. Hoc quidem est ad pedem literæ,  
 ut uocis. At quanto commodius & suauius in hūc  
 modum effertur. Expectare uerò dum hostium co-  
 piæ auferentur, summæ dementiæ esse iudicabat.

Item si dicas Hispanicè; Dióle licencia de yrse, &  
 conuertas, ut Barbari uocant, ad pedem literæ, Bar-  
 barum erit; dedit licentiam abeundi. Latinum est;  
 fecit potestatem abeundi: Quare oportet ut crebrò il-  
 los autores cōsulas, qui hæc copiosè docent: sunt autē  
 Bartholomei Ricciij apparatus Latini sermonis.  
 Adrianus Cardinalis de lingua Latina.  
 Ioānis Godscalci Latini sermonis obseruationes.  
 Thesaurus Ciceronis per Carolum Stephanum.  
 Farrago sordidorū uerborum per Cornel. Crocū.

Maturini Cor-  
 derij de corrupto  
 pro sermone.

### De epithetis, & decima Copiæ rerum exercitatione.

**N**ON fuit nobis integrum superioribus libris om-  
 nia, que ad rerum copiam pertinebant, cō-  
 iungere, ne elocutionem cum inuentione confunde-  
 remus. Nunc obseruandum est, Epitheta non solum  
 ornatum præbere Orationi, sed etiam rerum copiā:  
 quod Aristoteles tertio Rhetoricorum ad Theode-  
 stem, Hermogenes *de ἰστορίαις*, Plutarchus in

Catilinaria I  
Muræus 19.

uita Homeri, Varinus Phauorinus in Lexico, Cice-  
ro in Partitionibus, & 16. Epistolarum ad familia-  
res, Quintilianus lib. 8. cap. 2. & cap. 6. copiosissi-  
mè declarant. Flavius autem Sospater lib. 4. bre-  
uissimè & naturam & usum Epitheti in hunc mo-  
dum explicat. Epitheton est dictio uocabulo adiun-  
cta, ornandi, aut destruendi, aut indicandi causa. Su-  
muntur autem ab animo, aut corpore, aut extrinse-  
cus. Ego nullum alium usum commodiorem inue-  
nio, quàm si quis Ciceronis Thesaurum subinde con-  
sulat.

### De generibus dicendi.

**S**ed ut Epithetorum usum meliùs teneas, perpen-  
de priùs quo dicendi genere uti uelis. Oratio e-  
nim commendatur his maximè luminibus; perspi-  
cuitate, probabilitate, splendore, iucunditate, &  
suauitate; quæ à Latinis dicendi genera uocantur;  
Græci Characteres & Ideas appellant, quasi formas  
figurasq; dicendi. Hermogenes multas enumerat. Ci-  
cero in Partitionibus totidem ferè quot nos. Alibi  
tria dicendi genera ponit, de quibus Fabius libr. 12.  
cap. 12. Auctor ad Herennium lib. 4. Ioachimus For-  
sius in libello de formis dicendi.

Humile.

Genus dicendi, seu Idea definitur, apta rebus &  
personis Orationis formæ: quæ triplex traditur, hu-  
milis seu tenuis, Mediocris, & sublimis. Humile di-  
cendi genus, seu summissum, seu extenuatū dicitur,  
quod puro atq; dilucido sermone contentum figu-  
ras parcis adhibet. Hoc genus in Orationibus At-  
ticum

ticum dicebatur, usitatum Philosophorum disputationibus, & aptum sermoni familiari. Sed hic illud fugiendum est vitium, ne sit aridum & exangue Orationis genus, quod exile uocatur. Tenui genere Cicero usus est in Philosophicis disputationibus, in Epistolis multis, in Oratione pro Cæcina, pro Quintio, pro Roscio Comædo. Et Terentius, & Plautus Poëtæ Comici.

98. Cælius secundus lib. 2. epist.

Medium, seu mediocre, seu æquabile dicitur, quod constat ex humiliore quidem, sed non infima tamen aut peruulgatissima uerborum dignitate, qualis ferè est historiae dictio. Cuius vitium fluctuans & dissolutum appellatur, quod sine neruis & articulis huc illuc fluctuat, humilemque fugiens figuram, nimis assurgit: aut inflatum & tumidum uitans, humi serpit. Utitur mediocri genere Cicero in Oratione pro lege Manilia, pro M. Marcello: maxime uerò in libris Officiorum.

Medium.

Sublime seu grande genus est, quod constat uerborum grauium & sublimium ampla atque ornata constructione, & plenissima compositione; qualis ferè Ciceronis dictio est in Oratione pro Rabirio, pro Milone, in Catilinam, in Verrem, in Pisonem. Cuius vitium est turgidum & inflatum, atque uerborum insolentia horridum.

Sublime genus.

Primo generi propositum est docere; secundo delectare; tertio animos concitare. Ex his tribus generibus maxime spectatur Eloquentia. Is enim, inquit Cicero, eloquens est, qui humilia subtiliter, & magna grauius & mediocria moderate potest dicere:

Quis eloquens

*Quid sit apte  
dicere*

*Misceri gene-  
ra dicendi.*

hoc est, ut idem scribit, qui ad id quodcunq; decee-  
bit, poterit accommodare Orationem. Et ita dicet,  
ut rebus ipsis par & aequalis sit Oratio. Res igitur  
magnae ut heroicæ & Tragicæ sublimitatē atq; gra-  
uitatem: humiles ut plebeæ & comicæ subtilitatem:  
mediocres mediocritatem requirunt. Atq; hoc illud  
est, de quo multa Cicero scribit, apte dicere, decorū  
in dicendo obseruare, ut rebus & personis apta sit  
& congruens Oratio. Admonendum hīc illud uide-  
tur, cum dicimus Orationes Ciceronis alias in atte-  
nuato genere, alias in mediocri, alias in sublimi uer-  
sari, id ex earum inter ipsis comparatione dici, qua  
rebus ita postulantibus alia grauiore, alia subtilio-  
re dictione tractat: cum ferē nulla sit Oratio, in qua  
non omnia hęc dicendi genera interdum reperiun-  
tur; ut in Exordio ferē mediocre; in Narratione at-  
tenuatum; in Confirmatione, & Refutatione ple-  
rumq; graue. Sed cum nihil similitudinis tædio sit  
molestius, artificio ē rebusq; congruenter illa dicen-  
di genera misceri solent: ut humilia subtiliter atque  
perspicue; magna & mediocria pro dignitate di-  
cantur. Qua uarietate mirifice recreatur animus  
auditoris.

Iam opus est ut ad Epithetorum usum nostra re-  
currat Oratio. Propone tibi genus dicendi, quod  
sequi uoles: si humile, fuge Epitheta; si mediocre, ali-  
quando poteris illa usurpare: si sublime, Epitheto-  
rum aceruum exquire, ut ex his eligas quæ iucun-  
diora, grauiora, & ad Aures magis accommoda-  
ta censeantur. Fingamus tibi traditam Orationem

Hispa-

Hispanicam, ut eam in Latinum sermonem conuer-  
sas. Sit hæc;

Por esse camino uays que hay Moros?  
Conuertamus hanc trifariam, ut inde tria dicendi  
genera cognoscantur.

Istud iter ingressus es? nullas Sarracenorū insi- Humile.  
dias pertimescis?

Hem quid agis? uiam istam longam & lubricam Mediocra.  
qua insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut pro-  
lapsione, aut Sarracenorum insidijs uix possis, in-  
grederis?

Deum immortalē, quoniam tam pleno gradu Sublime.  
properas? tu uiam istam ingredi audes? esne Atha-  
mante insanior? eam flectas te rogo, aestuosa enim  
est, & puluerulenta, excursionibus & latrocinijs in-  
festa: fuge quæso immanes Turcas, & Cimbrica ferā  
eate metuendos.

Est etiam elegantia in connectendis dictionibus,  
& sententijs, si uarietate & copia utamur; quod fiet  
hisce uocibus, præterea, deinde, mox, porro, porro  
autem, tum, cæterum; quo licebit uti quoties ad di-  
uersa digreditur Oratio. Ad hoc, ad hæc, adde his,  
accedit his, accedit ad hoc, huc accedit, huc perti-  
net, eodem pertinet. Huic confine est illud, his fini-  
timum est, ad hanc formam pertinet, ad hunc ordi-  
nem referendum est, huic proximum est, illud haud  
quaquã prætereundum silentio. Sed operæpretium  
est illud audire. Iam aliquoties eandem uim habet  
uox Quintilis. præcipuè familiaris. Deinde cū pro-  
gressu incandescit Oratio, iam uerò, age uerò, quid-  
quod,



quòd, & consimilia. Iam uerò quid referam? Age ue-  
rò ad bellum in Africa gestū ueniamus. Quid quòd  
suos etiam inceffit? Quin, quimetiam, in super.  
Interim & per occupationem connectimus: Ut ne  
dicam interim, ut omittam domesticas huius sordes.  
Nam illud quid attinet commemorare? Nam hæc a-  
liàs. Sed illud suo loco dicetur. Aliquando per dubi-  
tationem: ut, eloquar, an sileam? Vsurpatur & hic  
modus connectendi à Medicis: Præcipuum est ster-  
cus columbarum, proximū caprinum, ab hoc ouium,  
deinde boum.

*Cap. 4. de secunda elocutionis parte,  
id est de Dignitate.*

**D**ignitas est quæ ornatam reddit Orationem,  
& grata uarietate distinctam. Constat ex uer-  
borum & sententiarum ornamentis: quibus præter  
uulgarem consuetudinem expolitur Oratio. Orna-  
tur autem Oratio Tropo & figura; ut docet M.  
Tullius in Bruto, cum ait: Ornari Orationem Græ-  
ci putant si uerborū immutationibus utantur, quos  
appellant τροπὸς καὶ ἀλλαγῆς, & sententiarum, Orationis quæ for-  
mis, quæ uocant ἄλλοιαι.

Tropus est elocutionis forma, qua propria signifi-  
ficatio uerbi in alienam commutatur, à τροπή, id  
est, mutatio. Sunt autem Tropi quatuor; Metaphora,  
Ironia, Synecdoche, & Methonymia.

Metaphora est Tropus ex simili simile signifi-  
cans; ut lumen in Sole proprium est, lumen ingenij

Tropos dictio-  
nis uocat mul-  
ti

Metaphoram

Catachresim

Metalepsim

Metonymiam

Synecdochem

Onomatopœiā

Anonomasiā

Periphrasim.

μεταφῶρα

unde transla-

tio.

per

per similitudinem illinc translatum. Nihil est in rerum natura, unde nõ possit duci similitudo, aut Metaphora; ut 2. de Oratore docet Cicero.

A rebus diuinis, Plato eloquentiæ deus; ab elementis, omnes incenduntur gloria. Consilium uultu regit, ac spem fronte serenat, nullius tantum est flumẽ ingenij.

Ignis.

Aer.

Aqua.

Terra.

Animalia bruta appellamus, id est tarda, & stolidi; cum tamen terra bruta dicatur, id est tarda & stolidi.

A stipitibus, flos ætatis.

Ab animalibus, ut latrant Oratores.

Ex sensibus, ut nummum olfecit.

Ex hominum artibus; ut Orationem polire, usuram temporis officio sarcire, stylum limare.

Cæterum illæ Metaphoræ laudabiles sunt, quæ ratione sumptæ, ad sensus admouentur; præcipuè autem oculorum, qui est acerrimus: unde Verrin. 7. Inflammatus scelere in forum uenit; ardebant oculi, totoq; ex ore crudelitas emicabat.

Vitiat Metaphoram dissimilitudo: ut cœli ingentes fornices: nihil enim admodum simile est inter fornices, & spheram cælestem. 2. Si longè simile ducum sit: ut Syrtis patrimonij. melius est scopulus patrimonij; facilius enim mentis oculi feruntur ad ea quæ uisa, quàm ad ea quæ audita sunt. 3. Obscœnitatis, ut castrata morte Camilli Republica. 4. Si maior sit translatio quàm res postulet; ut tempestas commessationis. 5. Si Metaphora Tapinosim sapiat, ut uerruca pro monte; nisi de industria per Hyperbolem

bolem parvulum hominem formicam dixerit. 6. Si nimis dura & insolens sit, ut sputatilia crimina. Aliquando Metaphoram alioqui fugiendam usurpamus, addita hac voce, ut ita dicam: aut per Catachresin; ut parricida pro interfectore. Si multiplicari & continuari Metaphoram uideas, Allegoriam uocabis; si Allegoria sit obscurior, Aenigma dicitur; si excessum significationis in uerbo uideas, Hyperbolem appellabis.

Tropos Oratorum  
vocat  
multis

Allegoriam,

Aenigma,

Paronomasiam,

Sarcasum,

Asi smum,

Metonymiam

Antiphrasim

Charietismum

Ironiam.

2 Ironia est tropi forma ex dissentaneo dissentaneum significans. Latine illusio & dissimulatio uocatur, quoniam aliud dicit, & aliud intelligi uult: solet autem & pronuntiatione, & rei quae pronuntiat naturaliter cognosci: ut credamus hoc, Sextum Natiuum, cuius caput oppugnat, eius auribus pepercisse. Huic affinis est Paralipsis, seu Apophasis; de qua mox agemus.

3 Synecdoche est cum ex parte totum, aut ex toto pars significatur. Latine Intellectio, uel conceptio dicitur. Ex parte totum intelligitur, cum membrum pro re integra ponitur; ut testum pro domo; mucro pro gladio: aut cum individuum pro genere ponitur; ut Curius pro homine frugi. Totum etiam pro parte dicitur, quando totum integrum pro membro positum est, ut Xanthum bibissent, id est, partem aliquam Xanthi fluminis; aut genus pro specie, uel species pro individuo: ut Orator, id est Cicero; Poeta, id est Virgilius. Aliter Antonomasia uocatur.

Poeta aliam habent Hypallagem, nempe cuius oratio in uersa vice proferatur, ut datae elisibus aures.

4 Metonymia seu Hypallage est cum ex causis effecta, uel ex subiectis adiuncta, contrarie significatur.

sicut, quod fit quatuor modis. Primò, cum inuentorè,  
 & autorem rerum pro rebus ipsis ponimus; ut Ce-  
 rerem pro pane, Martem pro bello, Vulcanum pro  
 igne, Liuium pro historia Liuij. Terentium pro co-  
 mœdijs Terentij. Deinde, cum ex effectis causæ signi-  
 ficantur: ut pallida mors, cæca spes, pallentes habi-  
 tant morbi, tristisq; senectus. Pallidos homines effi-  
 cit mors; at pallida non est: cæcos & ignaros spes;  
 at cæca non est. sic morbi, & senectus. Mox, conti-  
 nens pro re contenta; ut bene morata ciuitas, id est,  
 bene morati ciues. Testis est Hispania, id est, Hispani.  
 Aut possessor pro re possessa sumitur; ut proximi-  
 mus ardet Vcalegon, id est Vcalegonis domus. Tan-  
 dem, cum ex adiunctis res subiectas intelligimus, ut  
 cum uirtutum nomina pro uiris bonis; & uitiorum  
 pro malis; & multarum aliarum rerum pro perso-  
 nis quibus adiuncta sunt, usurpantur: ut auaritia  
 pro auaro; crudelitas pro crudeli. Si Metonymia ge-  
 minatur, & gradatim itur ad id quod ostendimus,  
 id est ab effectum ad causam, Metalepsis dicitur; ut  
 post aliquot aristas, id est, annos: nam ariste æstates,  
 æstates annos indicant. Speluncis abdidit atris; nam  
 atris nigras intelligit, ex nigris obscuras, ac demum  
 in præceps profundas. Sed in soluta Oratione, quam  
 alij profam, alij prorsam uocant, Cererem pro pane,  
 Bacchum pro uino, aristas pro annis non admodum  
 eleganter usurpabis. Huc Onomatopœiam & Peri-  
 phrasim reuocare solent multi; sed cur ego non pro-  
 brem, paulò post indicabo.

Cap. 5. de figura & coloribus  
Rhetoricis.

**N**ondum satis constitui, molestiæne plus, aut uoluptatis attulerit mihi ueterum in colligendis figuris industria. Illi dum nullam prætermittere uolunt, easdem uarijs locis repetunt, & inculcant: alij nimia breuitate necessarias interdum omittunt. Age tentemus & nos quid possimus in re tam uaria præstare. Sed ante omnia, quoniam uulgus colores & figuras easdem esse putat, nos discrimen breuissimè commonstremus.

Color Rhetoricus non est Orationis, aut uerborum ornamentum: sed prætextus quidam, quo res conficitur uerisimilis; ut pro Rege Deiotaro: Cùm in castellum Luceium uenisses. & domum Regis hospitis tui diuertisses. & c. Colores igitur propriè sũt loci uerisimiles & probabiles. Sic Iuuenalis: Dic Quintiliane colorem. De quo etiam Horatius intellexit, cùm ait: Aut uerum sequere, aut uerisimilia finge.

Figura est elocutio, qua Oratio à recta & simplici consuetudine mutatur: Græci uocant habitum ἔκστασις, & gestum quendam Orationis à communi ratione dicendi remotum. Quoniam hæc ornamenta in hominum imperitorum populari sermone rariùs enitent. Est autem duplex ἕξις, & διακεις, id est, uerborum, & sententiarum. Figure uerborum sunt quæ sequuntur.

Lege cap. 7.  
figur. 53.

5. Epizeuxis est quādo uox aliqua continēter iteratur: ut crux, crux inquam, infelici & misero. Itē occidi, occidi, non Spurium Melium. Interdum coniuñctio aliqua, aut parenthesis interponitur: ut uiuis, & uiuis, non ad deponendam, sed confirmandā audaciam.

Epimone, Parallogia, Epanalepsis, Anadiplosis.

6 Anadiplosis Poëtarum est, cū illi in fine præcedentis, & initio sequentis uersus eandem uocem repetunt; ut 6. Aeneid.

Deiphobum uidi lacerum crudeliter ora

Ora manusq; ambas.

7 Anaphora seu relatio est quando eadem uox auditur in principijs uel incisorum, uel membrorum, uel Periodorum: ut non uiam? non scelus? non latrocinium?

Epibole, Repetitio, Epanalepsis.

8 Epistrophe est, quando eadem dictio in eosdem extremos fines conuertitur; ut, Quare cū ego legē de ambitu tulerim, ex Senatusconsulto tulerim, saluis auspicijs tulerim, tu eam esse legem non putes?

Conuersio, antistrophe, Epistrophe.

9 Quando Anaphora & Epistrophe coniunguntur, sic Symploce: ut, Quis legem tulit? Nullus. Quis maiorem populi partem suffragijs priuauit? Nullus. Quis comitibus præfuit? idem Nullus.

Complexio & Symploce  
κοινοῦτος

10 Epanalepsis est, quando eadem uox in principio & fine eiusdem periodi sentitur; ut Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Et Aeneid. 1. Multa super Priamo rogans, super Hectore multa.

Multa uerba repetitur ut Phosphore red de diem. li 8. Martialis.

11 Epimodos, regressio est, quando eadem uox in principio & medio, uel medio & clausula resonat:

Conduplicatio  
Replacatio,  
Ploce.

ut gratiâ qui refert, habet; & qui habet, in eo quod habet refert.

Item quia res indigna sit, ideò turpem existimationem sequi; & quia turpis existimatio sequatur, ideò rem indignam non uendicari.

Adnominatio  
Agnominatio  
Prosonomastia  
antianaclasses.

12 Interdum figura est in uerborum similium cōclusionem, & uocatur Paronomasia: ut hic non est Tullius, sed Tollius; non Orator, sed arator. Amans amens; uerba, uerbera; fames, fama.

13 Quando casus mutatur, & syllabarum similitudo retinetur, Polyptoton dicitur: ut quæ didisceram tractare, quibusq; me assuefeceram; & quorum eram auidissimus, nunc omnia neglexi. Vides Polyptoton, quæ, quibus, quorum in uerbis quemadmodum in nominibus occurrit: ut Phyllis amat Corylos illas dum Phyllis amabit. Aeclo. 5.

Exergasia &  
commoratio si  
immodica est  
periergia dicuntur.

14 Expolitio Synonymie, siue interpretatio, hoc tantum differt à conduplicatione; quòd in hac eadē iteratur sententia, uerbis per figuram aliquam, aut uariandi rationem commutatis: ut Cic. Hic tu qua letitia perfruere? quibus gaudijs exultabis? quanta in uoluptate bacchabere? Utimur serè hac figura, quoties uno modo non satis uidemur dignitatē, aut magnitudinem rei demonstrare; atq; ideò ornatē, atq; amplificandæ rei gratia idem prorsus mutatis subinde uerbis, uelut plura ingerimus. Necesse est enim eius qui audit uehementer animum commoueri, quum grauitas prioris dicti renouatur interpretatione uerborum.

πλὴν  
à Georgio Acanthia, Epamodios uocat.

15 Antistasis, copulatio, est ubi idem uerbum, uel nomen

nomen bis continuo positum, diuersa significat: aut idem uerbum repetitur in contrario sensu. Vt sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius, id est, sui similis erat: nam in priore, persona; in posteriore qualitas animi significatur. Item; Vna salus uictis nullam sperare salutem. Item; Huius arumnæ quamuis extrarium hominem, modo hominem, commouere possent. Hominem dixit, pro in quo sit humanitatis aliquid, uel qui non sit ab humanitate remotus. Itē; Talis erit mater, si modo mater erit, pro si maternum erga filium animum geret. Simia semper est simia, etsi aurea gestet insignia. Diaphora à quibusdam dicitur.

16 Asyndeton est, cum multa sine coniunctione proferuntur. Hæc figura coniunctionibus sublatis continuat Orationis partes, & hoc ipso facit ad sermonis acrimoniam, quod uelut impetu quodam fertur. Terent. Cæteros ruerem, agerem, raperem, tundere, & prosternerem. Hic si addas coniunctionem, perierit impetus ille, & quasi ardor Orationis, ut si dicas; Cæteros ruerem, & agerem, & raperem.

Articulus.  
Dialyon.  
Dissolutum.  
Brachylogia;

Figura sententiarum partim inter simplificationes, partim inter argumenta recensentur. Ornamenta ergo & exornationes dicuntur, cum ornandi causa adhibentur, argumenta uero cum probata

## Cap. 6.

### Figure sententiarum.

DVplex est sententiarum figura; nam aut figuratur Orationis habitus quasi uestitus, uel affectus; aut ipsius corpus augetur. Prioris generis, cum uelut motus Orationi additur. Hæ sunt species.

18 Interrogatio, ἰσχυρισμός, est ubi exacerbando



aliquid interrogamus, & augemus eius inuidiam: ut, fuistine in illo loco? dixistine hæc ita gesta esse? renunciaistine ea quibus decepti sumus? Hæc enim sine interrogatione minus inuidiosè proferuntur: ut hic fuit illo in loco, & ita esse gesta dixit, & falsa renunciando nos decepit.

19 Pysma, quesitum, fit quoq; interrogatione; sed superiori una uoce tantum respondere potest; Pysmati uerò occurri non nisi pluribus potest: ut quæ ratione bellum geremus? quæ auxilia nobis parata erunt? quis erit, qui subuenire uolet, cum tamè acerbè socios tractauerimus?

*Acceleratio,  
uel summaria  
collectio.*

20 Epitrochasmus dicitur, ubi multa terribiliter interrogamus: ut Quis tu homo es? Quid tibi uis? Quid cum illa tibi rei est? Pro Rabirio: An pietas tua maior, quàm Gracchi? an animus? an consilium? an opes? an autoritas? an eloquentia?

Interrogamus nonnunquam causa

Instandi: ut; Quousq; tandem abutere Catilina. & c.  
Miserationis: ut; Heu quæ me tellus, quæ me nunc æquora possunt accipere? 2. Aeneid.

Admirationis: ut; Di; boni, quid illic hominum litigant?

Acrius imperandi: ut; Non arma expedient, totaq; ex urbe sequentur?

21 Aganactisis, seu indignatio est; cum interrogantes pronunciatione ipsa indignationem ostendimus: ut; Et quisquam numen Iunonis adoret pretereà?

22 Exclamatio ἐπιφώνησις est, ut ô tempora, ô mores.

res. neq; ibi solum exclamatio est, ubi auditur  $\hat{o}$ , sed quoties impotens affectus erumpit, ibi demum exclamatio est; ut Me miserum.

23 ἀπίρ, execratio Oratoria, ut;  $\hat{o}$  scelus?  $\hat{o}$  portentum in ultimas terras exportandum?

24 Aporia, Diaporisis, dubitatio est, quando dubitare nos significamus, uel unde sumamus exordiū, propter rerum multitudinem, uel quid potissimum agamus dolore aliquo affecti: ut eloquar, an sileam?

25 Communicatio ἀνακοινωνία est cum alijs quaedā deliberatio & consultatio: nam ut in Aporia dubitamus apud nos metipsos, & quasi nobiscum agimus; hic cum alijs rationem inimus: ut; Tu denique Labiene quid faceres tali in re, ac tempore? &c.

26 Subiectio est argumentatio, in qua quaerimus quid pro aduersario, aut contra nos dici possit. Deinde per singulas interrogationes propè subijcimus rationes, quibus id quod dictum est, non ita esse ostendimus, hoc modo: Quæro igitur, unde iste ex tenui, tam pecuniosus sit factus? Patrimonium amp. ù relictum est? At patris bona uenierunt. Hæreditas aliqua obuenit? At à suis exhæredatus est. Ex mercatura, quam agere constituit, quæstum maximum consecutus est? At ex ea re, quæ habere uidebatur, omnino amisit. Quare si his rationibus locupletatus non est, aut illi aurum domi nascitur, aut unde non oportuit, surripuit. Numeratur hæc argumētatio & inter exornationes. Nā quatenus aliquid colligimus, argumentatio est: quatenus ornatam conficit Orationem, exornatio putatur. Neq; tantum ad conclu-

Prolepsis:  
Anthyphora, seu Antisagogia à Georgio Acanthis uocatur.

dendum adhibetur, cum non minus habeat dignitatis hoc modo: Quid faciam miser? taceam? instigem? purgem me? laterem lauem. Reprehenditur hæc argumentatio, ut enumeratio; à qua non multum differt, si aut aliquid prætermissum ostenditur, aut infirmatur aliquid ex enumeratis.

*Expositio.*

27 Apophasis est, cum quasi alio interrogante nobis ipsi respondemus, & rationem reddimus. Cicer. Si quis furem occiderit, iniuria occiderit, quam ob rem? quia ius constitutum nullum est. Quid si se telo defenderit? non iniuria. Quid ita? quia constitutum est: Huc à quibusdam referuntur

Aetiologia,

Anageon,

Chroma.

Dicæologia,

Metastasis,

Seu color.

28 Oxymoron est sententia ex periculo petita, hoc est, ita acutè & affectatè enunciata, ut fatua videatur. ut. 7. Aeneid. Num capti potuere capi? Cicero in Bruto vel de Clar. Eloquentia obmutuit.

29 Sustentatio, paradoxon, inopinatum, hypomone, est cum postquam expectationè grauisimum criminum fecimus, ad aliquid quod sit leue, aut nullo modo criminofam, descendimus: hoc est, cum suspens auditorum animis, inexpectatum aliquid subiungimus: uel cum res magna dicitur, & modo maior modo minor subijcitur, quam erat expectata. Terent. Heaut. In me quiduis harum rerum conuenit, que sunt dicta in stultum; caudex, stipex, asinus, plumbeus. In illum nil potest; nam exuperat eius stultitia hæc omnia.

30 Paralipsis præteritio est, cum simulamus nos *Occupatio,*  
aliquid relinquere, aut omittere id, quod maxime  
tunc obijcimus: uel cum in transcurso dicimus id,  
quod nos negamus uelle dicere, ut; Nolim dicere quã  
turpiter ante i gesseris magistratum. Tale est, uertit  
Homerum, ne dicam peruertit.

31 Apostrophe, Auersio, est cum mutatur subito  
in Oratione persona, uelut alterius compellendi cau-  
sa: nimirum cum feruet Oratio. Sic Cicero à Cæsare  
Orationẽ flexit: Quid enim tuus ille Tubero in a-  
cie Pharsalica. &c.

32 Epitrope, Permissio simplex non uocatur figu-  
ra, sed quoties habet uel exprobrationem, aut dissi-  
mulationem, aut asseuerationem, aut fiduciam, tum  
demum figura est. Terent. Quid isthuc? tibi si isthuc  
placet, profundat, perdat, pereat, nihil ad me atti-  
net.

33 Synchorisis, Concessio, est propositæ rei appro-  
batio: nam superior est in factis, hæc in dictis; ut, Sic  
sacrilegus, sit fur, at est bonus Imperator.

34 Parrhisia, seu Licentia, est cum simulatione li-  
bertatis, aut nostra, aut aliorum errata ita reprehẽ-  
dimus, ut figuratè interdum adulemur. Pro Ligari.  
Suscepto bello Cæsar, gesto etiam. Lege Fabium.

Alij sic describunt: Parrhisia est, quæ præ se fert  
audaciam dicendi, quod periculosum dictu uideba-  
tur. ut pro Sylla: Adeste omnes animis.

35 Deesis, Obsecratio, Deprecatio, est cum pote-  
tas, aut numen, aut auxilium cuiusquã imploratur.  
Cice. Quæ cum ita sint, ab Ioue Opt. Max. ceterisq;

dij deabusq; ueniam peto.

36 Diabolé est quasi denunciatio eorum que futura sunt: ut erit, erit ille dies, cum tu. &c. Item uide-  
re uideor iam illum diem cum hinc egens profugiet  
aliquo militatum. Terent. Adelp.

37 Epiplexis, Epitimisis, est quoties aduersarium  
ijsdem uerbis, quibus ab eo lacesiti sumus, percuti-  
mus: ut; Bis capti Phryges, hæc Rutulis responsa re-  
mittunt.

38 Hypocrisis, est cum aduersarium gestu & pro-  
nunciatione extollimus, uel abijcimus: ut cantando  
tu illum? additur enim tu, nullus alioqui. illum autē,  
prestantem in canendo.

### Cap. 7. de figuris quibus Orationis uertas augetur.

Similis est ar-  
gumentationi  
qua Scriber di-  
e uis, seu acer  
& alii syllog.

39 **C**limax, Epiplocæ, Gradatio, Ascensus, est  
cum consequentia membra ab eisdem oriū-  
tur uerbis, quibus antecedentia clauduntur: atque  
ita uelut gradibus quibusdam connectitur Oratio:  
ut Ferdinando Cortesio uirtutem industria, uirtus  
gloriam, gloria æmulos comparauit.

40 Antimetabole, Commutatio est, cum inuerti-  
tur aliqua sententia per contrarium. Esse oportet,  
ut uiuas; non uiuere, ut edas. Eripis, ut perdas: per-  
dis, ut eripias.

Antitheton.

41 Antithesis, Contentio, est cum contrariis oppo-  
nantur contraria. Fit uerò aut uerbis inter se pu-  
gnans

grantibus, aut sententijs contrarijs: In fuga fœda mors, in uictoria gloriosa.

42 Syniciosis, Communicatio, cum duæ res cõtrarie coniunguntur: ut; Labor est etiam ipsa uoluptas: Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

43 Epanorthosis, ἀνάστασις, Correctio, tollit quod dictum est, & pro eo quod magis uidetur idoneũ, reponit. Quis ille leges, si modò leges nominanda sunt, ac non faces urbis.

44 Prodiorthosis, Aphorismos. Si quid insuaue auditoribus, aut nobis odiosum dicturi sumus, pre-munit, & corrigit. Dehinc postulo, siue æquum est, te oro Daue. Aphorismus corrigit uim sententiæ; ut docet Iulius Rufinianus.

45 Apodioxis, Reiectio est cum aliquid ab aduersario allatum, eludimus. Vt, hac de re quid attinet dicere? Erit aliàs oportunior dicendi locus.

46 Procatalepsis, Occupatio, est tacite obiectionis refutatio: aliqui præceptionem & anticipationem uocant: ut; Neq; me Argolica de gente negabo. &c.

47 Procatasceue, seu præparatio, quæ à Rufiniano adfertur, mihi eadem cum insinuatione uidetur: nempe cum rei, de qua sumus acturi, colorem præcedimus: ut, Anna soror. &c.

48 Paromologia, Confessio, est cum quedam largimur aduersario, ut reliqua magis exaggerari possint. Pro Rabirio: At fuit cum Saturnino u. p. f. & f. n. d. r.

ἀναστήσει  
ἐπιπέσει αὐτῷ  
σεὰ διαφορῶσιν  
τερ σε: ἢ οὐκ αὖτις  
Μιχαήλ το  
ξίτα in Phila  
Ciceronis 7.

49 *Paradiastole* est, cum ita aliquid conceditur, ut uicinum quiddam detrahi possit: ut, ueritas laborare potest, opprimi non potest. Est etiam cum similes res discernuntur contrarijs redditis: ut; *Triste lupus stabulis, m. f. imbres. a. u. n. A. i.*

50 *Chleuasmus, Permutatio, Ironia, idem sunt: de quibus supra uerba fecimus.*

*Metastasis.*

51 *Transitio, est quæ monet, quid dictum sit, & quid restet. facit autem ad docilitatem.*

52 *Aetiologia est, cum causam ostendimus. Dico-logia est, cum aliquam officij rationem, aut excusa-tionem adhibemus. Prosapodosis est, cum pluribus propositis sua cuiq; ratio subijcitur.*

53 *Color est simulata, & obliqua defensio alicuius suspectæ cause, uel perperam facti. Sic Fabius monet dandum esse deformibus colorem, hoc est, causam facti speciosam exquirendam. Pro leg. Manil. Ut initia illa gestarum rerum m. a. p. n. f. & paulo post: Noster exercitus etsi u. e. Tigranis, & c.*

54 *Epepxigisis est, quæ quod diximus declarat: ut hunc ego diem expectans M. Antonij scelerata, & c. Philipp. 3. lege ibi Cæly secundi scholia.*

*L. Catilinæ Mu-ratus 15. 18. b. linea. 4.*

55 *Amplificatio incrementum est, quoties gradi-bus aliquot peruenitur, non modò ad summum, sed interim quodammodo supra summum. Huius exem-plum est apud M. Tull. in quinta in Verrem actio-ne: Facinus est uincire ciuem Romanum, scelus uer-berare, parricidium necare: quid dicam in crucē tol-lere? Verbo satis digno tā nefaria res appellari nul-lo modo potest. Ad hoc genus pertinet & illud, cum*

*conge*

congestis ordine quodam circumstantijs in contextu  
 & cursu semper aliquid priore maius insequitur.  
 Huius exemplum est in secunda Ciceronis Philippi-  
 ca de uomitu Antonij: Orem non uisu modo foeda,  
 sed etiam auditu. Si inter coenam in tuis immanibus  
 illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duce-  
 ret? In cætu uero populi Romani negotium publicum  
 gerens, Magister equitum, cui rudiare turpe esset, is  
 frustis esculentibus, uinum redolentibus gremium suum,  
 & totum tribunal impleuit. Hic singulae uoces incre-  
 mentum habent. Etenim per se deforme fuerat, uel  
 non in cætu uomere; in cætu etiam non populi, etiã  
 non Romani, uel si nullum negotium gereret, uel si  
 non publicum, uel si non Magister equitum. Hæc si  
 quis diuidat, aut circa singulos gradus immoretur,  
 augebit quidem Orationis copiam, tamen minus ef-  
 ficaciter amplificabit.

Huic contraria est Comparatio. Nam ut incre-  
 mento ad superiora tenditur, ita Comparatio à mi-  
 noribus incrementum petit. Fit autem comparatio  
 uel fictione, uel exempli collatione. Fictione, quam  
 ἰπὸ τῶν ὑποκρίσεων uocant; ut in prima parte exēpli, quod mo-  
 dō retulimus ex Cicerone. Emitgit enim hoc inter coe-  
 nam accidisse privato. Eiusdem est illud in Catilin.  
 Serui mehercule mei si me isto pacto metuerēt, à mi-  
 nore, & pauci serui comparantur uniuersis ciuibus;  
 non libertis; herus Catiline qui ciuium suorum non  
 erat dominus, postremo ciuitati domus. ut te  
 metuunt omnes tui, domum meam relinquendam  
 putant

Comparatio est  
 cū à maiori-  
 bus exaggera-  
 tis coniectura  
 capitur de mi-  
 noribus exagge-  
 ratio. i. cū mi-  
 norum a maioribus  
 comparantur. uel  
 preferimus non  
 argumentandi  
 sed ornandi  
 causa.



putarem. Collatione exempli, quoties proposito uelut simili exēplo efficitur; ut id quod exaggeramus, aut proximum illi, aut par, aut maius etiam uideatur, uelut Cicero pro Cluentio, cum exposuisset Milesiam quandam à secundis hæredibus pro abortu pecuniam accepisse; Quanto est, inquit, Oppianicus, in eadem iniuria maiori supplicio dignus? Siquidem illa cum suo corpori uim attulisset, seipsam cruciavit. Hic autem idem illud effecit per alieni corporis cruciatum. In hoc genere non solum tota totis, sed etiam partes partibus comparantur; sicut hoc loco pro Milone: At uerò uir amplissimus Scipio, Tiberiū Gracchum mediocriter labefactantē Rempublicam priuatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde atque incendio uastare cupientem, nos Cōsules perferemus? Hic & Catilina Graccho, & status Reipublicæ orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi, & incendijs, & uastationi, & priuatus Consuli bus comparatur. Quæ si quis dilatare uelit, plenos per singula locos habeat.

Murætu. 1.  
Catilin. 7, 6.

Amplificamus & ratiocinatione, cum aliud cre scit, & aliud augetur, hoc modo: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum uini in Hippie nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu uomere postridie. Colligitur enim quantum uini biberit Antonius, quod illa totius corporis gladiatoria firmitas non quiuerit ferre & concoquere. Ad hanc formam referendum est quoties res atrocissimas quasque in summam ipsi extulimus inuidiam eleuamus con sultò

sultò, quò grauiora uideantur, quæ sequutura sunt. Quod genus est illud Ciceronis: Leuia sunt hæc in hoc reo. Metu uirgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis pretio redemit. Humanum est, atrocissimum quiddam expectetur necesse est, cui hæc, quæ sunt atrocia, comparata, humana atq; usitata uideantur.

Amplificamus & congerie uerborum, ac sententiarum idem significantium; quæ ratio finitima est figuræ *συναθροισμῶς*, de qua prius dictum est. Idem fit interim omnibus altius atq; altius insurgentibus: ut in hoc exemplo; Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris, mors, terrorq; sociorum, & ciuium Romanorum licitor Sextius.

Amplificamus etiam quasi correctione quadam, ut Cicero in Verrem; Non enim furem, sed raptorẽ; non adulterum, sed expugnatorem pudicitie; non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumq; non scæcarium, sed crudelissimum carnificem ciuium, sociorumq; in uestrum iudiciũ adduximus. Totidem autem sunt minuendi modi, quot sunt amplificandi.

56 Extenuatio, *Miosis*, *Tapinosis*, cùm attigisse dicimus qui colaphum infregit; seuerum, qui crudelis sit. Huic *Leptotes* subiicitur; quæ aliquid arrogantiæ uitandæ causa extenuamus, ut; Si quid est in me ingenij Iudices, quod sentio quàm sit exiguum.

57 *Gnome*, uel sententiæ, dictio est ad mores, uel res communes pertinens: ut necesse est multos timeat, quem multi timent. Huc *Prouerbia* spectant, & *Enthymemata*, hoc est, sententiæ ex contrarijs: ut, Ob-

sequium

Est oratio in  
pra de vita,  
quæ aut quid  
sit, aut quid  
esse oporteat,  
in uita breui-  
ter ostendit.

sequitur amicos, ueritas odium parit. Nam hic Enthymema non est species argumentationis Dialecticæ.

58. Epiphonema est exclamatio quæ ad finem rei narratæ adhibetur: ut; Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

59. Noema, cum re rectè significamus quod auditor ex seipso diuinet; uel est sententiosum scomma detortum in personam aliquam, cuius mores & ineptiæ notentur: ut; Athenienses literis uerbisque bellum aduersus Philippum gerebant, id est, habebant imbellè loquacitatem.

60. Merismus & Distributio idem sunt; de quibus egimus in Inuentione pag. 36.

συμεταβολή  
 ὁμοίως ἀπὸ Α  
 καὶ ἰσχυρὸς δι  
 κηται.

61. Frequentatio, est cum res in tota causa disperse cogitur unum in locum; quò grauior, aut acrior, aut crimiñosior sit Oratio: ut; A quo tandem abest iste uitio? Quid est Iudices cur uelitis eum liberare? Sux pudicitie proditor est, insidiator alienæ, cupidus, intemperans, petulans, superbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infestus in cognatos, in superiores contumax, in æquos & pares fastidiosus, in inferiores crudelis, denique in omnibus intolerabilis.

62. Emphasis, est cum plus cogitationi relinquatur, quàm uerbis exprimitur. Huius due sunt species. Lege Quintilianum.

63. Auxesis est, cum uerbo grauiore, quàm pro re utimur, atrociusque proprii loco substituimus: ut latro pro improbo; asinus pro stolido; scelus pro errore, aut errato; mutus pro eo qui nihil respondet.

64 *Liptote*, cum minus dicitur, & plus intelligitur: ut, Hoc ab homine minimè stulto audiui. Item; *Munera nec sperno*, id est, libenter accipio. *Litotia.*

65 *Endiadys* est, cum unum in duo contrahuntur: ut; *Pateris libamus & auro*; id est, pateris aureis. *En dia dyo.*

## Cap. 8. de Compositione tertia Elocutionis parte.

**C**ompositio est uerborum concinna, & numerosa constructio, qua leuis & æquabilis, suisq; modulis perpolitata fluat Oratio. Paratur autem hæc suauitas compositionis numero, coagmentatione, concinnitate, & certa periodi mensura.

Numerus est Orationis apta modulatio, ex interuallorum breuium longiorumq; uarietate. Interualla uoco tempora syllabarum, & spatia quæ in effrendis uerborum partibus transiguntur. Nō est numerus, ea sententia de qua agitur, non ipsa uerba, non concinnitates & figurae, non ij qui Tropi nominantur, non pedes, & eorum tempora, non incisa, aut membra, aut ambitus, sed pedum ordine positorum quidam pulcher incessus, & ueluti quedam Orationis expolitio. *Numeri definitio.*

Pedes in numero omnes fermè, qui sunt à nobis in libello de ratione syllabarum explicati, id est, dissyllabi 4. trissyllabi 8. &c. ad usum numeri conuertuntur.

Locus numero est in principio periodi, in fine, & medio. Sed quoniam media liberiora esse uolumus, ne uideatur nimis astricta Oratio, quæ & soluta, & prosa dicitur, pedes tantum qui initia, & fines sententiarum occupant, persequemur.

- Numeris ergo illustrantur principia, media, postremaq; sententiarum. Hinc in extrema periodo eleganter collocatur Dichoreus, præcedente Cretico; ut cum uictoria conferatis: an præcedente Dactylo; ut suauiter audietur, & gentibus imperare: aut Spondeo; ut horum Tusculanum. Claudit Cicero per sepe circumscriptionem Choreo, & Molosso; uel Cretico & Spondeo; ut esse delectum: aut Dichoreo & Molosso; ut timendum fuisse senserunt: aut Molosso præponit tres Chores, uel Dactylum; ut aliqua spe & cogitatione uenerunt; esse uidebatur. Est & Creticus in extrema sententia; ut multum iuuat. Duplicatur interdum; ut cogitās sentio. Dochmius (quæ Strebæus perperam Dochimum uocat, ut aliās com monstrauit) quoq; finem Periodi eleganter occupat; ut ad reiiciendos iudices uenimus; & sententiæq; cognoscerent. Suauis est etiam Trochæus, quem Poëtae Tribrachyn uocant, cum Spondeo; ut esse uideatur. Aut Dispondeus præcedente Choreo; ut gloriam libens agnouisset. Dactylus in extrema sede plurimus est, præueniente Cretico; ut casus admittitur. Bacchius quoq; quod hunc nouissimæ tres syllabæ Dichorei constituent. Idem pedes optimè in media periodo, hoc est, in fine incisorum, sed non gemini, aut alijs præcedentibus: ut in extrema periodo à Cicero

rone Pæan primus, aut quartus usurpantur. Vnusquisq; enim horum non solum dignitatem affert, & amplitudinem; sed etiam uolubilitatem, atq; celeritatem, qua animi concitati affluente uoluptate recreantur.

Deinde in Periodorum principijs erit Creticus; ut neminem uestrum. Pæan primus; ut at beneficio sum usus tuo. Pæa quartus; leuia sunt hæc in hoc reo crimina. Dichoreus non enim potest Bacchius, ut uehebant in essedo. Palimbachus, ut; At quanta merces. Dactylus; ut omnia præteribo. Anapestus, ut patior iudices. Molossus; ut est idem Verres. Amphibrachis; ut tenesne memoria? Dochmius; ut catenas habebat hospes tuus. Vitanda autem dura concursio, & uocalium hiatus. Deinde eiusdem pedis continuatio, & strepitus plusquam heroicus. Mox traictio uerborum. Fugiendi quoq; fracti, cõcisiq; numeri; hoc est, cum cæsim, membratimq; dicitur; sunt qui inania uerba infertiunt quasi complementa numerorũ; ut ipse, ipsa, ipsum; ille, quidẽ, certẽ, sanẽ, profectò, herculẽ, loquitur, dicitq; facit, & agit, doctus, eruditusq;.

Vicia regionum  
dant numero.

*An monosyllaba dictione Periodum absolueri liceat.*

Nonnunquam M. Tullius Periodum absoluit dictione monosyllaba. Id aliquibus uidetur numerorum & concinnitatis legibus repugnare. Quare breuissimè in adolescentulorum gratiam nodũ hunc explicemus. Veteres Romani eas clausulas impro-

ba=

habant, in quibus unius syllabæ uocem ultimam, uel breuem breuis, uel longam longa syllaba præcederet; ut, *res mea sit, & eum priuare uita uis*. Si contra fieret, probabant. Sed Probus Grammaticus ostendit à multis culpata fuisse structuram, quæ in monosyllabam uocem designat. Sed hoc Ciceronis auctoritate possumus redarguere, & quæquam occurrunt multa laudabilium clausularum exempla, partim à nobis obseruata; partim sumpta ex Fabio Quintiliano, Coelio Baso, Valerio Probo, Fortunatiano, Diomede, ac Martiano. Tamen uno, aut altero canone adducto, nodum hunc explicabo.

1.

74. Si in fine fuerit monosyllaba uox longa, præcedens Trochæus laudatur; ut, non scripta, sed nata lex. Item; debet esse legum in Republica prima uox.

2.

75. Si monosyllabum ultimum correptum fuerit, iambus, aut anapestus præcedat: ut, apud meos sit; ut annos dat.

### Cap. 9. de Coagmentatione.

**N**unc agendum de iunctura dictionum. Hanc iuncturam uocat Cicero Coagmentationem, cum inquit: Colligatur Oratio Coagmentatione, Cōcinnitate, & Numero. Dicta est Coagmentatio à similitudine lapidum, qui in extruendo pariete coagmentantur: eam sic describimus; Coagmentatio est eorum structura uerborum, quæ molliter coherent:

ut apud Ciceronem in hoc exemplo reperies: *Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt.* Hic dictiones omnes absq; hiatu coherentes suauiter audiuntur, nempe *res, in, ci, te, du, plu, mum, pos.* spectatur autem hæc iunctura in uocalibus, in consonantibus, aut simul in uocalibus & consonantibus. Sed antequam de his agamus, ostendemus figuras Coagmentationis.

Prima est Anastrophe; quæ & Poëtis, & Oratoribus magnum affert adiumentum. Dixit Virg. *Ita liam contra: non enim molliter cohærebat, contra Italiam.* Sic Cicero, *Quocum, quicum, tecum, mecum, magna ex parte, & alia id genus.* 79. *anastrop.*

Eò nonnunquam spectat Apocope: ut, *Immitis Achilli, ne dicamus Achillis immitis.* Reliquæ figuræ Poëtarum magis, quàm Oratorum censentur. Fabius Quintilianus diuersam rationem sequitur, inquit enim: *In omni compositione desiderantur tria: ordo, iunctura, & numerus. Sed ut uideo ordinem & dispositionem confundit (inquit ille) dispositio, exigit ut digniora indignis præponantur: ut uir fœmina, dies nocti.* Sed hoc falsum esse ostendo cum Cicerone, qui sepe numero dicit *noctes & dies, uxor uir imperat.* Quin & ipsemet Fabius lib. 9. sibi ipsi pugnat, cum ait: *Compositionem nullus nisi arte cõsequetur; at ordinem istum, quem tu dicis, uel imperite mulieres cõsequuntur.* Sed ut ad institutum reuertamur, dicimus uocalium concursum magna ex parte fugiendum, si mollem & suauem dictionũ iuncturam uolumus. Nam & Poëta Latini hac sole-

80. *Apocope.*

*Digniora nõ  
sepe in di-  
gnis præponi-  
tur.*



causa ducti, Synalepham inuenerunt.

A & o, malè sonant; ut summa omnia fuerunt, alia omnia audierunt.

Cùm uocalis eadem finis est uerbi prioris, & principium sequentis, nullam parit fœditatem, ut causa à nobis acta in Senatu iudicum culpa atq; dedecore: & tu hodie egeres, nos liberi essemus. O dij immortales, quì istuc? nemini ignosco, obsecrabor, obtestaborq; uos iudices, magna laus, meoq; iudicio omnium maxima, tu unus adolescens uniuersum ordinem de salute Reipub. prohibuisti? Hæc copiosius ab Aulo Gellio explicantur.

A & e, quiddam rusticanum sonant: ut gratissima esset eius integritas in eadem Africa esse uoluit.

E & a, non omnino malè: ut uoluntate ad ea arma profectus sum.

A & i, agrestem efficiunt uocem: ut albai, longai, diligentia inimici nonnunquam est apud Ciceronem, ut quia in legatione.

I & a, suauius sonant; ut non commemorarem, nisi à te cognouissem.

O & e, insuauia sunt & ingrata; ut hic æquo animo esse potuit.

E & o, concurrunt urbanius: ut quare omnium rerum una reprehensio est.

O & i, absona sunt; ut ex omni non modò inuidia, sed sermone maleuolorum, nec uerò id. & c.

A & u, durè sonant; ut si uniuersa prouincia, ut dixi loqui potest, syllaba utitur, Musa una.

V & a, suaves sunt; ut locus erat difficili ascensu, atq;

atq; arduo.

I & o, iucundè sonant; ut graui onere premitur.

Fugienda quoq; uocalium tenuium multitudo, propter quã speciei, progeniei, mollitiei, & huiusmodi casus odiosæ uastitatis uix apud bonos autores reperiuntur.

Cæterum ne quis existimet esse uitium grande cõmittere duas generis huius literas, adferemus M. T. & Quintiliani iudicium.

Habet tanquam ille hiatus è concursu uocalium *Cicero.* molle quiddam, & quod indicet non ingratham negligentiam, de re hominis magis, quàm de uerbis laborantis.

Non tamen id ut crimen ingens expauescendum *Quintilianus* est; ac nescio an negligentia in hoc, an sollicitudo sit peior; inhibeat enim necesse est, hic metus impetum dicendi, & à potioribus auertat. Quare ut negligẽtia est hoc pati, ita humilitatis ubiq; perhorrescere. Hæc Cicero & Fabius; sed nos istam libertatem alijs ætatibus, alijs exercitationibus cõcedimus. Volumus autem puerum optimis assuescere; maximè cum stylo dat operam in otio literario.

### De coagmentatione consonantium.

Ex his optimè coherent, quæ labijs coeuntibus efferuntur; ut m & b, m & p; ut cum baccare: iudicium Paridis. Et eadem litera repetita, cum finis est extremi uerbi, & principium sequentis: ut tecum meritis certet. Item & u consonans: ut Aeoliam

uenit, & sicut loca foeta furentibus austris. Permutata sunt eiusmodi apud Ciceronem.

Quum dictio desinit in m, & in principio sequentis dictionis sequuntur C, D, G, L, N, Q, R, S, T, X, Z, asperè sonant. N ante L & R insuavis est, unde irruo, non inruo dicitur. Item ante X, B, M, P, durior est, ante Z mollior, propterea dicitur imbuit, non inbuit: impurus, non inpurus. Cum I consonante rectè m & n, iunguntur, ut numen Iunonis. Dissentiunt tamen ab his elementis C, D, I. Sed post B, L, R, S, melius collocantur.

B cum iota, I, consonante rectè iungitur; ut ab Ioue. Liuius durior est, quoniam illam omnibus mutis & uocalibus anteposit. A Cicerone sæpenumero consonantibus opponitur, ut ad beatè uiuendum sibi uideatur beatior.

C Consonantibus præposita subobscura est; ut Cloelius, lac præcepit.

R Insuavis est, ea utetur qui rem duram & asperam tractabit.

Reliquæ consonantes à me hoc loco non obseruabuntur. Nolo enim in his morosum adolescentem quandoquidem securus neglexit Cicero. Cauendum tamen ne x & z iterentur. Item ne plura uerba continua ab eadem litera ducant initium, ut cauum cõuersa casside uidebatur.

Lib. I. cap. 15  
Mutatio.

Vitium quoque est cum uerbum capit initium ab ijs literis, quæ prioris erant ultimis finitimæ; ut nonnulli literati, unda dehiscens.

Vitandum deinde cacophaton illud, cuius est ob-

scæ-

scœnus intellectus: ut cæca caligine obruimur. Sunt ergo uitiosa hæc Gallicum nomen, me iecur alit, in arcu letifero, mare Lybicum nusquam quietum. Huiusmodi uitia Cicero uitat interpositione uerbi; ut cum isto Næuio familiariter uixit.

Iunctura aspera est, cui innectuntur multæ consonantes; ut pons fractus post meridiem.

Cap. 10. de Concinnitate.

Concinnitas, est Oratio cadens aptè beneficio figurarum. Figure autem sunt similiter desinētia, similiter cadentia, paria paribus relata, & antitheta, seu contraria. Hæc ultima prius, mox reliqua persequemur.

Antitheta, Cicero enātia, & anticimena uocat, id est, opposita, & contrapposita. Ex illis quædā sunt proprie contraria: ut amare, & odisse: quædam priuantia, ut dies & nox: quædam relata, ut longum, & breue: quædam contradicentia, ut adere, non ædere: quædam repugnātia, ut ledere, & amare: quædam tantum separata, & quodammodo antitheta; ut non nostri ingenij, uestri auxilij est. Hæc mirabiliter Orationem illustrant, ut hoc Ciceronis exēplo cognosces; Conferre hanc pacem cum illo bello: huius Prætoris aduentum, cum illius Imperatoris uictoria: huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuictō: huius libidines, cum illius continentia: ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas?

Obferuandum tamen, non oportere perpetuò antitheta, quæ uerè pugnantiæ & aduerfa ſint, collocare: ſat eſſe ſi tanquam aduerfa conferantur. Deinde non uoces ſingulæ ſingulis comparatæ antithetò efficiunt, ſed membra membris. Nam ſi dicas; pingui in heruo macer taurus ineſt, antitheta ſunt macer, pinguis: ſed quoniam ſunt uoces ſimplices, non efficiunt nobis antitheta concinnitatis.

82. orbis numerosus, uel concinnitatis. Compar, uel parison.

Secunda figura eſt Hiſocolon. Vocantur autem Hiſocola, paria paribus relata; nempe quoniã membra paria paribus opponuntur: ut uicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Poſſunt autem aliquando plures ſyllabæ in altero membro collocari; ita tamen ut plures quàm tres, aut quatuor non apponantur. Huiusmodi deliciae quæ ex Hiſocolis & ſimiliter cadentibus conſtant, non modo fidem abrogare, ſed etiam ſaſtidium adſerre ſolent; iure ergo ſeria parcius adhibendæ.

83. non odio bonorũ, ſed inuidia premiorum malorum.

Tertia figura eſt Omioptoton. Eſt autem Omioptoton, quando caſus ſimiliter deſinentes opponuntur; ut in foro nunquam, in agro aliquando, in locis deſertis in iudicijs conſtitutis, raro apparuit. Omioptoton eſt agro & foro, locis deſertis, & iudicijs.

84.

Ultima figura eſt Omioteleſton, hoc eſt, ſimiliter deſinens; ut tulisti hæc omnia, & dedisti.

### Cap. II. de periodi menſura.

**A**bsolute concinnitate par erit, ut de menſura periodi agamus. Mirabitur uerò aliquis quã

ob causam numerum periodo præposuerim: nos autem quanquam naturæ ratione uidebamus periodis numero præponendam esse; maluimus tamen ueteres imitari, eò quòd multa copiosissimè, & multò magis quàm iuniores in hac parte accommodatè præceperint. Possum autem argumenta uaria adducere quæ ad confirmandam nostram sententiam à Iouita Rapicio adferuntur; sed nolumus has quæstiones pertinaci, & nihil profutura sedulitate sectari.

De periodo ergo acturus, cum bona Latinorum uenia, uitor nominibus Græcis; tū quòd à Græcis copiosius explicata, tum quòd Latina ambigua sint. Nam periodus, colon, comma, aliter comprehensio, & ambitus, incisum, & membrum dicuntur. Video autem quosdam eruditos turpiter deceptos, quòd crediderint quatuor res esse unicā à Cicerone quatuor nominibus insignitam. Vt ergo fugiamus ambigua, utemur Græcis. Periodus inuenta est ab iisdè, qui in Græcia Oratorium numerum inuenerunt. A Romanis autem ante Ciceronis tempora nunquam cogitata: nam eo tempore L. Crassus M. Tullij præceptor à Græcis acceptam Romanis præbuit. Definitur à Cicerone in hunc modum: Periodus est Oratio incerto quodam spatio inclusa, procurrens, quoad insistat in singulis absolutisq; sententijs. Dicitur à peri, id est circū, & odos uia, quasi circularis uia. Cæterum periodus, quæ unicū habet membrum, monocolos dicitur: quæ duo, dicolos; quæ tria, tricolos; quæ quatuor, tetracolos: unde periodi uocantur Latine unius membri, bimembris, trimembris, qua-

Periodi inuentor.

Periodi definitio.

drimembris. Periodus elegans, & ab omnibus approbata, quadrimembris est, seu tetracolos. Vitiosa autem est, quæ quinque, aut sex membra complectitur. Non enim enunciari, nisi magno pectoris labore, potest. De periodi autem mensura, quanquã multi præcepta tradunt, nos unicum Cicero sequemur. Hic eam periodum probat, quæ mensuram quatuor carminum heroicorum plus minus æquet. Nō uetat autem aliquando uarietatis causa breuiores periodos conficere. Iam quod de Periodo enunciãda Rhetores obseruant, paucis ostendamus; per casum gignendi illam efferunt: ut cuius uiri probatur dignitas, eiusdem probatur auctoritas. Per datiuũ; ut homini forti conuenit seipsam tueri. Per accusatiuum, ut quem sua conscientia non excitat, non excitabunt aliorum iniuriæ. Per ablatiuum, ut ab ijs uiris ediscere iucundum est, qui libenter docent. Enūciamus quoque periodum per interrogationem, increpationem, ironiam, similitudinem, aut sententiam. Ceterũ periodi genera tria sunt; primum genus est Rhetoricum, alterum Historicum, tertium Dialogicum. Discrimen autem inter hæc tria genera, unusquisque qui mediocriter uersatus sit in Cicerone, & Liuiio, agnoscat. Quando uerò uti liceat periodo absoluta docet Cicero cum in Oratore ad Brutum inquit; eodem tempore utemur numero & periodo absoluta, nempe in causa graui & seria.

85.  
Longiores periodos Græci Rhetores pneumaticas uocant.

Finis primi libri.

# LAVRENTII PAL-

MYRENI LIBER SECVNDVS,

qui Elocutionis, & Inventionis exercita-  
tionem, & exempla complectitur.



Abolutis summo labore & cura In-  
ventionis, & Elocutionis præce-  
ptis, spectabat animus noster quie-  
tem: sed ecce eiusmodi impedimenta  
occurrunt, quibus animadvertat si-  
bi concessum non esse, ut in tam se-  
cura sui opinione conquiescat. Retrò namq; legens  
vestigia progressuum suorum, multas uidet, quasi per-  
stationes dispositas difficultates: quas, ne præcepto-  
rum cursum retardarèt, omissas illis absolutis expe-  
diendas sibi esse existimat. Ita fiet ut commodiore lo-  
co tractatæ ab adolescentibus faciliùs intelligi pos-  
sint. Harum ergo nonnullas in prælectionibus quoti-  
dianis audietis; alias hodie in hac exercitatione,  
qua in unaquaq; hebdomade die Iouis uos exercere  
soleo, breuiter exponemus. Prima igitur difficultas,  
quæ potest animos uestros aliqua ex parte turba-  
re, est uidere tot ornamenta uerborum & sententi-  
arum à nobis descripta, & ignorare quo potissimum  
loco sint usurpanda. Age igitur, quodnam est tuum  
de hac re iudicium?

D. Hinc poteris magister charissime facile collie-  
gere, quâto studio & alacritate præceptis tuis obtē-  
perē: nam cum possem hoc onus Aetna grauius reij-  
ere,



cere, & tanquam humeris meis impar effugere: tamen tibi morem gerere uolo, & pro tenuitate ingenioli mei satisfacere. Vide quàm non reformidem, uide quanta lux benignitatis tuæ mihi apud te dicēti oboriatur? Quantum poterò, uoce contendam, ut omnes exaudiant. Equidem in ea sum opinione, ut figuræ Rhetoricæ bonis coniunctæ sententijs, magnum orationi decus adferant. At ubi res idonea nō subest, nihil est fucatis illis pigmentis ineptius. Quādo autem hac, uel illa figura in Oratione utendum sit, res ipsa, de qua agitur, & exempla in summis & claris Oratoribus ad imitandum proposita, nos admonebunt.

Quando Tropi & figuris uti liceat.

P. Nullum ergo præceptorum genus erit cū ipsa exercitatione, & usu conferendum? At uerè Cicero in Bruto dixit: Nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio. Est enim caput quamplurimum scribere. Demus ergo operam, ut multa scribamus. Præcepta uolo esse perquam pauca, exercitationem uerò diuturnam. Fit enim sepe ut qui artem sciunt, scribere nesciant: quod de Varrone, Hortensio, Galba, Quintiliano, Seneca, Hermogene dicitur. Ideoq; præclare agitur cum istis Grammaticis, quòd tam multa eorum, qui ab ipsis citantur autorum monumenta perierint; perierant illi, nisi illa periissent; nullam enim habent elegantiam, præceptorum aceruum ingentem exquirentes. Hodie igitur præcepta tanquam canes è Nilo degustauimus. Nunc sedete omnes, & illa ad ueterem declamandi usum reuocabo; si modò attentè, ut res ipsa postulat, auscultetis.

Ratio

*Ratio declamandi.*

**S**Vnt hoc nostro seculo permulti, auditores charrissimi, qui solo gloriae studio ad calumniandum adducuntur: & uehementer famam sitientes, cum eam non possint sua sordida perturbataq; doctrina adipisci, Rhetoricam tanquam inutilem damnant; & Ephesium iuuenem imitantur, qui incenso Phano totius orbis celeberrimo, sibi obscuram quandam gloriam comparauit. Hos tota errare uia supra in Prolegomenis demonstrauius, cum dignitatem & utilitatem huius artis, ueterum, & recentiorum eloquijs stabilitam & confirmatam patefcimus. Quare uos moneo, & hortor, ut horum clamores negligatis, & quandoquidem Inventionis, & Dispositionis & Elocutionis praeccepta audiuiſtis; date operam, ut ita ea ad exercitationem & calamum reuocetis; ut nusquam uos herere, nusquam dormire, aut turpiter hallucinari in declamando contingat. Aperui uobis heri, quae desiderabatur ad hanc exercitationem; nempe

Quomodo scribendum sit,

Qua ratione scripta essent emendanda.

Quae praecipue scribenda essent.

Quemadmodum extemporalis dicendi facultas paretur.

Et apte dicere uolenti, quanam essent obseruanda.

Haec tum ex Fabij Quintiliani lib. 10. & 11. tum ex Strebao, & Nicolao Beraldo, ac nostra assidua obser-

observatione collegimus. Sequitur iam, ut ab unoquoque uestrum exquiram, quàm feliciter hæc omnia ad usum reuocare queat. Age igitur, hodie uobis declamandum est, explica ueterum de hac re sententiam.

Disci. Florente Atheniensium & Romanorum imperio, floruisse quoque eloquentiæ studia, historici omnes memorie prodiderunt. Insituebantur pueri in schola ad bene dicendum; ut cum adoleuissent, in foro gloriam & celebritatem nominis assequi possent. Apud Grammaticos exercebant progymnasmata, quæ à Quintiliano 14. opera minora dicuntur. Deinde ad Rhetorum scholas adducebantur, proponebanturque eis themata; quorum alia ficta erant, alia ex historijs, aut Poëtis sumebantur, quæ hodie apud Græcos Sophistas pleraque extant; ad quæ themata in scholis pueri exercebant se stylo, scribendo in utramque partem. Qui iam profectu processerant, quæ scripserant ediscebant, & coram omnibus condiscipulis recitabant: nonnulli qui iam peritiores agnoscebantur statim proposito themate, sine scriptura dicebant. Hoc erat declamare, in scholis exercitationis causa dicere. Declamatio igitur est Oratio, ut sic dicam, scholastica, quæ forensis imitatur.

Declamatio  
rū themata.

Declamatio  
quid.

Thema quid

Themata uocabantur ea, quæ breuiter continebant controuersiam, quæ declamabatur. Poëta Comici & Tragici argumenta uocant operum suorum. Addebantur autem singulis declamationibus sua nomina; ut, Cymon redemptus, Paries palmatus, Miles Marianus,

Marianus, *Pasti cadaueris.*

*Palmyrenus.*

Audiuistis quid fuerit à ueteribus obseruatum. Hos hodie imitari uolumus; non illos, qui nostro seculo se admirabiles esse putant, si hirudinum ritu bilingues appareant, & Latinis Orationibus Græcas dictiones intertexant, atq; interdum si desunt exotica, è putribus chartis quatuor, aut quinque uerba prisca eruunt, quibus tenebras offundant lectori, nimirum, ut qui intelligunt, magis ac magis sibi placeant: qui non intelligunt, hoc ipso magis admirentur, quò minus intelligunt. Quare adeste iam omnes & animo nequaquam peregrinante fragmenta Declamationum excipite. Nolo enim uos initio in grauioribus exerceri; ne, ut aiunt, in dolio figulariam. Commodius namq; & tutius hisce quasi gradibus, ad integras declamationes ascendetis. Qui in hoc scamno sedent, laudabunt conuiuium à causis materiæ & firmæ: qui in illo, uituperabunt ab adiunctis urbanam uitam, & rusticam commendabunt.

D. Magister teneo satis feliciter Inuentionis præcepta, sed non occurrit modò, quid dicam. P. Nonne laudaturus es conuiuium? D. Sum; at præter synonyma nihil excogitare possũ. P. Synonyma & huiusmodi delicias ineptis relinque; nam teste Cicero ne, copia rerũ uerborum copiam adducet. D. Istam copiam desidero. P. Vah, quid dicis, non habes adiuncta? Discip. Habeo, sed pauca. Palmy. Exquire

*sigillatim omnia; nam habes locum, tempus, amœ-  
 nitatem, uarietatem, & reliqua quæ conuiuium exor-  
 nant. D. Sum hebes; nec ista complector. P. Audi  
 Rodolphum Agricola: Si scribere uoles; optimum  
 erit id ipsum patrio sermone rectissime intra animam  
 tuam formare, deinde Latinis proprieq; significan-  
 tibus uerbis explicare. Nosti igitur in conuiuio aui-  
 culas, aut quadrupedia laudari; age, tacito murmu-  
 re ex his, quæ tibi in mentem uenient, Hispanico ser-  
 mone percurre, in hunc modum: palominos de uera  
 no, pichones caseros, tortolas de jaula, palomos de  
 enzina, pollos de Enero, patos de Mayo, gazapos  
 de Julio, lechones de medio mes, labancos de rio, ca-  
 pones ceuados, ansarones de pan, gallinas de cabe el  
 gallo, liebres de deesa, conejos de zarzal, perdigones  
 de rastrojo, peñatas de lazo, codornizes de reclamo  
 mirlas de uaya, zorzales de uendimias. Vbi iam syl-  
 uam istam tibi comparaueris, exquires etiam adiũ  
 cta mensæ, panis, & uini, Hispanicè; nam nisi prius  
 in tua natia lingua copiosus Orator fueris, nun-  
 quam in Latina, aut aliena quod exposcis, efficies.  
 Perpendes etiam tacitè panis adiuncta, & opposi-  
 ta; pan duro, sin sal, negro, mal ludiado, auinagrado,  
 mal cozido, o quemado. Sequentur mox opposita,  
 quæ ad laudem per contentionem demonstratiuam  
 multum adferent adiuuenti; pan de buen candéal,  
 de buen molino, abechado muy de espacio, pasado  
 por tres cedazos, cozido en horno grande, tierno  
 del dia antes, amassado con buena agua, blanco co-  
 mo nieue, soso como esponja. Nam uulgari uersiculo  
 dicitur;*

dicitur panis habens oculos; non habens caseus ul-  
 los, hoc est, panis leuis, bene assatus, fungosus, sua-  
 uis; contra grauis, mali saporis, non fermentescens.  
 Iam si libet adiunctum copie, aut inopie in eodem  
 pane obseruare, dices: es la casa tan abundante, que  
 no solamente hay para la familia, mas aun para  
 quantos pobres lo piden; hay bollos para los niños,  
 tortas para offrescer, hogazas para los moços, ahe-  
 chaduras para las gallinas, harina para buñuelos,  
 hojaldres para los sabados. Hæc summa diligentia  
 mente complectenda; sed deinde summo iudicio ad  
 usum reuocanda. Ex his deligenda quæ minimè mo-  
 lesta sunt, aut superuacanea, & uerbis proprijs, ele-  
 gantibus, & phrasi probata enuncianda. D. Li-  
 cet etiam id ipsum in abaco efficere, distributo uase  
 in suas formas? P. Quid ni? hæc exempla perpende.

*Exemplum per primam dilatan-  
 di rationem amplificatum.*

EL NEGRO dançar perdio a mi tia.

Bien cantauan los antiguos; Dime con quien pa-  
 sces, y dezirte he lo que hazes: y ueo lo yo a la  
 experiencia el dia de hoy, con lagrymas no solamē-  
 te mias, mas aun de todo el uezindado. Tenia yo ue-  
 na tia de hasta ueynte y un año; que no puedo dezir  
 si era mas nõbrada por su hermosura, o por su bue-  
 na fama; muy apartada de lo que las otras mucho

aman: porque aborrescia juego de cañas, era enemiga de mascarás; y si alguna vez yua al Porrato con streñida de sus vezinas, a todos ponía admiración, con sus ojos baxos, verdes, y rasgados; tãto que por sus ojos le sacaron dama de los espejos. Pero los tristes escurecieronse para la infamia de nuestro lma ge; porque dexando toda la uida passada, y despidiéndose de aquel honesto retraymiento que solia, se dio a dançar de tal modo, que nos hizo a todos dançadores. Entre las vezinas amigas hauia una tan ligera de pies, y uazia de cabeça; que aunque el corcho de los chapines se boluiera plomo, no bastara a detener aquella uelilla de campanario. Estaua nuestra casa junto a una yglesia; y la vezina dançadora en sentir las campanas, baylaua; lo mismo hazia quando tañian los organos; en sentir a Quatro cabeças que dezia palet, palet, ya meneaua los pies; cayose una ciuela de la escalera abaxo, era tã musico su entendimiento, que a aquel estruendo empeço a baylar: esta fue la que conuertio a mi tia de tal modo, que aunque al principio fue dura de conuertir, despues tuuo mas necesidad de freno, que de esauelas. Casose en aquellos dias una parienta nuestra, y para regozijar los desposorios fue combidada nuestra vezina; dixo que no yria, sino yua mi tia con ella; recabose con grande dificultad; a la postre fue, y con muchos ruegos fue uécida a dançar: quedo con tan buen gusto del nuevo exercicio, que de alli adelante dondequiera que dançauan, mi tia era

Quis instigator.

Quis falsandi occasio.

la primera. Y como entre estos exercicios andã man-  
cebos ociosos enemigos de castidad, acaescio hallar  
se uno tan affectado a ella, que de dia la solicitaua  
con bayles, y de noche la despertaua con guitarras  
por la calle: y como ella era honesta, rehusó todo lo  
posible; pero al fin siendo muger, y dandole uiejas  
que le persuadian y animauan, prometiendole muy  
buenos remedios para que si con otro la casauan,  
su honrra fuesse conseruada, cayo como otras en el  
triste lazo. Como ella uia al mancebo tan sano, tan  
gentil hombre, y que con tanta cordura trataua los  
negocios, entrando de noche por los tejados, y despa-  
resciendo de dia, tomo grande consuelo en el temor  
de su infamia; como el era rico y liberal, pagaua  
muy bien las criadas de la casa: y como se uia sano,  
creya ciertamente poder conseruar la uoluntad de  
lla muchos dias; pero como era sanidad fingida, y  
el hauia tenido los meses passados peladilla muy  
fuerte, y aguardando que los pelos nasciessen, se ha-  
uia estado retraydo como en caponera, uariando  
por copia francolines y perdizes, sacaua buen ro-  
stro, gruesso, y loçano, encubriendo dentro de sus  
huessos el mal Frances pestilencial que tenia. De a-  
qui ha uenido nuestra infamia; a mi tia le cayeron  
las narizes; esta agora baylando en una cama del  
hospital con sus encordios, y otras cosas que de lasti-  
ma callo.

*Qua vincens  
dispes.*

*Qua utriusq.  
que fiducia.*





*¶ Descriptio deformis fœmina à di-  
uisione totius in partes.*

**T**iene la cabeça muy poblada de ganado, los ojos tan gordos como castañas, melosos y cegajosos, sin pestaña alguna en sus parpados, la nariz remachada, los bezos salidos, y podridos los diëtes, y asserrados de hauer nascido temprano, el cuello mas descarnado que bestia muerta, los pechos angostos y secos, las tetas como badazas, las espaldas como trillos, el cuerpo al reues, corcobado, y ochauado, crescido de la cintura, contrechada de un lado, encaramado el ombligo, los muslos fragurados, hinchadas las pantorrillas, y añudados los pies.

*¶ Descriptio senis argumento ab  
adiunctis illustrata.*

**M**uy admirada estaua quando entendi que ca-  
sauades uuestra hija con un uiejo; pero des-  
pues que he uisto el rostro del hombre, o por mejor  
dezir calauera, he entendido que del todo estays cie-  
go, y que teneys proposito de hazer mumia del cuer-  
po de uuestra hija, para que muchos años se conser-  
ue. Yo fuy a mirar en su casa la hazienda que te-  
nia, porque os dauades a entender que era muy ri-  
co; y bien entendido el negocio, os se dezir como le  
halla con semejantes canciones, las quales recitaua

de un su amigo antes de uerme; ay señor que me duele la rodilla, tengo el higado escalentado, mi digestiõ uia a fuerza de socrocios, la ziativa me atormenta, la gota me mata, y la pobreza me aboga. Oyendo esto quede tan alterado, que sin hablarle me bolui a mi posada; porque ninguna destas propriades era buena para esposo a nuestra hija, ni aun para ayo de los quinze años que ella tiene. Topele despues en el mercado con tan buẽ habito, que me causara gran risa, si supiera de cierto que le haviades dado la palabra; lleuaua tres bonetillos debaxo un gran sombrero, y todos ellos tenian por fundamento una caperuzza de lino para dessecar reumas; en los pechos lleuaua muchos pedazos de grana, en el brazo derecho un pellejo de raposo, los guantes humidos; si se sentaua en un poyo luego dexaua las armas dela martingala humida, todo el sayo en la parte delantera lleno de manchas de quãdo escupe, por no tener fuerça ya en los pechos para tirar lexos la escopina. A penas sacaua una pregunta, o respuesta con sus amigos, quãdo la tos se ponía por medio. Es cosa de admiracion cõtemplarle los pies, porque en lo que se ueya, no hallauamos otro sino calças abiertas, y borzeguias hendidos; lo de adentro que no se puede uer, me dixo un criado suyo que era cosa de compassion, porque tenia una hinchazon en el touillo, muy torpes callos, y adrianes endurecidos, unas sobresalidas, muy anchas rascaduras, y las uenas enconadas. Adrede he callado lo del rostro, porque la novia no se espante; porque si dixesse dela frẽ

te tan arrugada, los ojos tan lagrimosos, las narizes tan aguileñas con esmeraldas pendientes, y dos pedacitos de azucar candi, los quales el llama diétes: bien creo que trabajariades en proueer de luto a la noxia, que no maravillas para los desposorios.

Fins.

✠ Testamento de vn borracho  
à diuisione totius in  
partes.



**A**lguna cõgoxa me causò al principio uuestro mensagero, quando me dio la carta, diziendo que en ninguna manera se yria sin mi respuesta; por que temia no fuesse algun negocio trabajoso. Pero en abrir la carta, se me boluio todo en risa. Por que ui que me rogays encarecidamente que os declare por orden los bienes que Miguel Durã ha dexado a sus hijos. Puedo en breue auisaros, que ha sido tan curioso, que ha quitado toda ocasion de hazer sus hijos prodigos. Adolescio el iueues lardero, y murio dia de carne stoliendas en la tarde. Al tiempo que le sangraron, espanto mucho a los Doctores, porque pensauan que la sangre quajada salia a pedacillos

pedacillos; despues que bien la escudriñaron, no hallaron sino moxquitos, y quexcos de uuas. Pidierõ que adonde queria que le sepultassen; dixo que a la puerta de un tauernero, y que le pusiessen un dragon por armas; y en el tonel mayor estuuiesse esta letra: **A Q V I** iaze el mayor borracho çafio, que han uisto los nascidos. y que le pusiessen por estandarte un ramo en una cañaheja. Llorando sus hijos le dezian; Que nos dexays padre con que consolemos nuestra orfandad? Respondio el; Yo os dexo con que toda uuestra uida biuays alegres: en essa camara baxo os dexo pipas, redomas, calabaças uazias, copas, taças, quarteles, çaques, odrinas, jarros, roldanas, toneles, cotofles, cubas, tinajas, coloradas, galletas, botijas, gobeletes, barriles, borrachas, treynta pieles de odres, faldillas con botanas remendadas, aljaras, terraças, modorrillos, una tinaja grande, embudos, odrezillos. En fin qual fue la uida, tal hauiã de ser el testamento; porque le hallaron en la escarcela ueynte y dos quexcos de azeytunas que guardaua, tajadillas de tocino magro, pedacillos de sobreasadas, y muchas cortezas de uizcocho, y otras muchas cosas, con las quales se incitaua a beuer. Lleuandole a sepaltar, y uan cayendo muchas gotas espejãs del escaño. Algunos se pensauan que era sangre, pero todas olian a uino. Lo demas dexo para la uista.

*Faceta commendatio annuli à  
causis & effectis.*

**Q** Vexoso estays de lo que aquel cauallero os di-  
xo, y teneyz muy poca razon; como uereys si  
atentamente escuchays lo que passa. Dixo os; Dios  
da hañas a quien no tiene quixadas. No se podia de-  
zir mas a proposito que el lo dixo. Porque dexan-  
do os un anillo en prenda de uestro quartago, di-  
xistes uos; por sanct Ysidro que tal no haga, que es-  
se anillo no uale dos dineros. Bien sabeys señor Cax-  
co Luzio quantos años ha que guardan un broque-  
lete viejo sin aro, por que es del Rey don Iayme; los  
estibales viejos de Roldan en Pamplona estan guar-  
dados; la monterica del infante don Pelayo guardã  
en el alcaçar de Sevilla; en mi arquimesa tengo yo  
un peal del Rey de Mexico; y muchas personas seña-  
ladas conseruan cosas de poco precio por hauer si-  
do de grandes varones. Este es el anillo que lleuaua  
el Rey Bamba en el dedo del coraçon; y aunque fue-  
ra de vidrio le haviades de estimar mas que uestro  
quartago. Quanto mas que le hizo Rodrigo de Par-  
toja hydealguino Portugues, y le hizo en el dia de  
su examen, quando lo eligieron por platero para el  
Rey Bamba. Bien creo que haureys uisto cosas re-  
dondas, pero todas os paresceran trianguladas si las  
comparays con esta; parece los mismos circulos de  
Archimedes Syracusano. La piedra esta tambiẽ en-  
gastada, que no paresce sino un frayle dentro un pu-  
pito,

*A caus effici*

*A forma.*

pito, o estudiante en mesa el dia que ayuna. Serde *A materia.*  
 oro no suera mucho, porque no estan grande que  
 pudiesse ygualar con lo que uos le dauades, pero es  
 de una cosa que hasta hoy ningunos artifices han a=  
 ueriguado si es de metal, o piedra. Bien uemos que  
 es alabado el saphir, y estimado el diamante, y que  
 a todos excede el balayx luzido. Pero la piedra de=  
 ste anillo es facada de la cabeza de un animalico ra=  
 ro; y tiene tal propiedad, que si la supieessedes, die=  
 rades qualquier cosa por gozar del un solo dia. Hi=  
 zieronle para que el conosciesse lo que mas le con=  
 uenia para salud de su persona, y tranquillidad de  
 sus reynos. No creo yo que el anillo de Giges tuuo mas *A fine.*  
 secretos que este; porque si alguno os cita delate al=  
 gun juez, en mudar lo en el otro dedo pareceys el  
 mismo juez, y os piden que hagays justicia; si teneys  
 hambre, llegando la lengua a el, passa; atandolo a las  
 calças, haze caer los encordios. Seria nunca acabar  
 si todas las propiedades huuiessemos de contar. *Ab effectis.*

H A E C O M N I A, & alia id genus Latina feci=  
 mus in nostro uestibulo Eloquentie; hic repetere mo=  
 lestum esset lectori.

D. Absolui meum pensum magister, eritne mihi  
 integrum recitare. P. Delige aduersarium. B. Esto tu  
 M. Non recuso, lege sensim. Fr.

Credo sanè te nunquam uetus dictum audiuisse,  
 qui alta contèplantur cadere; semper enim magni=  
 fica exquiris, summa exoptas; mediocria uerò, aut

*infra mediocritatem posita, contemnis. Quaecunque autem amici & familiares amanter offerunt, dignitate tua minora iudicas. Quò factum est, ut. N. te lautissimo conuiuio excipere uolentem, magno fastidio & contentione reieceris. Hoc possum audacter affirmare; nempe te, si conuiuio adfuiisses, omnia illa quæ nunc uituperas, mutata sententia, laudaturū. Disseream, si quid unquã in uita contigit mellitius. Paratum est celebre & lautum conuiuium in amœno horto, magna florum uarietate uestito. Erant autem abaci quatuor in triclinio; primus opere thesello, iuglandis ligno, admirabili magnitudine, refertus uarijs poculis Venetijs ex fulgenti uitro confectis, ingredientibus stuporem adferebat. Secundus ex ebano confectus, Murrhino uase illustrabatur. Tertius ex Agallocho argentea uasa continebat. In quarto eburneo aurea uasa & artificis peritiã, & symposiarchi nobilitatem commendabant. Mense omnes cum suis tibicinibus argẽto incrustate cernebantur: mappa lino, quod inflammatum igni non uritur, constabat; linum uocant Asbestinū. Spargebantur magna spectantium uoluptate per mensam purpuree rose suauissimos naribus odores aspirantes. In unoquoq; mantili apparebat urbs, aut nauis aut tale quidpiam, summa dexteritate & artificio, spiris lmi, aut gossypij expressum. Prima mensa, seu caput conuiuij fuit nouo quodam inuẽto ad exhilarandos conuiuas illustrata. Nã dialogus festiuissimus præter expectationem agi cœpit. Personæ Dialogi primos, ut uocant, missus & fercula suauis cantilena saltan*

Descriptio cõ  
 uiuij.

*salantes detulerunt. Stupefacti uehementer rei nouitate conuiuæ, non audebant dapes manibus attingere; incerti an illud esset conuiuij initiũ, an ad dialogi economiam pertineret. Tandem cum intuerentur symposiarchum appositas epulas serio deglutire, omnes præeuntem sequuntur; & uultu renidenti ostendunt, quantũ illis nouus hic iocus attulerit uoluptatis. Dum cõuiuæ florem lactis, striblitæ, cerasa, suillam assam, & alia quæ in prima mensa apposita sunt, auidè deuorabãt, diuina planè, & melliflua, tum uocis, tum testudinis suauitate, modulatus est adolescens quidam Hispanus: canebat autè uersus quosdam Italicos ex Petrarca & Bocatío desumptos. Longum esset recensere insignem uarietatem & copiam auium; quæ partim asse, partim elixæ, aut artocreis coopertæ, huic conuiuio appositæ fuerunt. Hoc tamen est admiratione dignissimum, nempe leucophagũ eo die, iam non leucophagũ, sed polychrophagum appellatum esse; nouo enim inuẽto suum candorem mutauit in ferrugineum, uiridẽ, pallidum, puniceum, heliotropion, cæsiũ. Non est quòd dubites adfuisse ibi serinam, aprugnam, ceruinam, leporinam. Illud uerò fuit prodigiosissimum, & stuporem atulit conuiujs; allata enim est artocrea tripodis magnitudine, ita uiuis coloribus & insigni pictoris dexteritate confecta, ut nullus uerã artocream esse dubitaret; cum tamen falsa esset, & fictitia. Simul atq; architriclini industria operculũ detractum est, magno alarum strepitu prodierunt auicule, & puerulus detracta tunica egregiè uibrãs ensem,*



ensem & scutu; cuius aduētū tanta uoluptate per-  
 fundebantur conuiuæ, ut extra se positi aliquamdiu  
 consisterent. Vix, ac ne uix quidem puer & auicu-  
 le discesserant, cū ingressæ puellæ sex Nympharū  
 cultu, & purpureo gausapino ornatae secundā men-  
 sam in fiscellis quibusdam deauratis adferentes, fru-  
 ctuum uaria genera ex saccaro confecta amœno &  
 suauissimo cantu cōuiuis præbuerunt. Absoluto illo  
 nunquam satis laudato cōuiuio, sublatā mappa, re-  
 iecto mantili, tandem ingressi sunt exoleti adferētes  
 lances, tympana, & discos argenteos chirotecis re-  
 fertos, quæ erant ambræ, musco, & zybetō ita ap-  
 tatae, ut nares & cerebrū admirabili odore & sua-  
 uitate recrearent. His ornati conuiuæ, addito etiam  
 florum fasciculo discesserunt. Ut iam intelligas, quid  
 tua ista arrogantia perdidideris. Quare demceps se-  
 quere uulgi sententiam; donū quodcunq; dat aliquis  
 proba.


N. Audiui tuum conuiuium, probo descriptionē,  
 quam uideo totam frugiferam & fructuosam, nec ul-  
 lam eius partem incultam, aut desertam intueor.  
 Perge, ut coepisti; sustines enim non paruam expe-  
 ctationem imitandi industriam patris tui Comitæ  
 illustrissimi. Suscepisti onus præterea graue & Aca-  
 demie Valentinae, & Doctoris. N. ad quos, cū tan-  
 quam ad mercaturam bonarum artium sis profectus,  
 in anem redire turpissimum est, dedecorantē &  
 Gymnasij auctoritatem & Magistri. Quare quan-  
 tum conniti animo potes, quantum labore contēn-  
 dere, tantum fac efficias; neue committas, ut cū om-  
 nia

omnia suppeditata sint à tuis præceptoribus, tute tibi defuisse uideare; perge in eo quo cœpisti stadio currere: ego libentissime laudo omnia. P. Laudatis uos?

M. Magister cum bona meorum condiscipulorum uenia, dicam, quæ reprehensione digna conspexi. In primis usurpauit uoces aliquot mihi parum probatas, deinde metaphoras paulò duriores, tandē narratio est contra præcepta tua. Non enim est uerisimilis, aut probabilis. Videtur planè ex Ouidio, aut Amadisij Gaulensis amoribus, & incantamentis, ut ita dicam, desumpta. Nequaquam enim illa quæ narrauit, personis, temporibus, aut locis consentiunt. Qui fieri potest, ut ciuis priuatus haberet abacum eburneum? ut reliqua prætermittam. Palm. Agamus sensim, propone uoces quas repudias. G. Vocauit chirothecas, quas Hispani uocant guantes; Cicero in Philippicis manicas uocat, aut appellasset dactylothecas. Palm. Fortasse ut Cicero thecam nūmariam dixit, integrum esset nobis digitorum thecam uocare. Sed demus tibi hoc, illud de Metaphora duriore reijcimus, quandoquidem nulla usus est Metaphora, quam non possit ostendere apud M. Tullium. Ceterum narratio uituperanda non est, quoniam nihil tale præscripsi; nō dixi, ut narraret, sed tantum ut à causis formæ, & materie conuiuiū depingeret. Adolescenti declamanti liberior cāpus, quàm Oratori in foro dicenti conceditur. Hic falsa quedam ad exhilarandum auditorem permittuntur.

Declamanti  
mendaciū an  
concedatur.

G. Probè mones; at Metaphoras omnes ego in Cicerone



Metaphora  
Ciceronis à ca  
lūnia defensa

Cicerone laudare non possum.

P. Age igitur, profer istas Metaphoras quas in Cicerone reprehendas censes? D. Quid ni? immò proferam libentissimè; nam si dux est Cicero, & ipse cecutiat, nos omnes in præcipitium ducet. Sunt h. e.

Vim fuisse illam, flammam quassatæ Reipublicæ. Age, quid simile est inter flammam, & quassatæ? nō ne uitiū est, cum duorum generum Metaphoræ in eadem periodo apponuntur? P. Vah, quid ais? ego sanè nihil tale reperio, sed potius absolutæ Metaphoræ lumen & ornamentum. Tunc enim est absoluta metaphora, cum & causam simul, & quod ex causa fit, complectitur: ut si dicas; ex illo morbo languet Respublica; fructus uberrimos ex his seminibus licet expectare: in tempestate Reipublicæ naufragiū fecit. Item hic; cum ex motu uehementi excitetur ignis, rectè & eleganter quassatæ Reipubli. flammam illam, qua ipse perustus est, extitisse demonstrat. Unde laudatur hæc:

Magna rerum permutatione impendente declinasse me paululū, & spe reliquæ tranquillitatis præsentis fluctus tempestatemq; fugisse. Pulcherrima translatio; impendente declinasse tranquillitatis fluctus tempestatem. Nam fugisse neq; cum hac una Metaphora conuenit: dicimus enim; & flammam fugit illorum temporum, & cōmunem ciuitatis pestem fugit: neq; ad metum impendentis rei dumtaxat, sed ad ea quoq; quæ æquo loco sunt accommodatur. D. Demus hoc tibi, at illa mihi non satis uecunda apparet;

Cum

Cum in hanc Reipublicæ nauem ereptis Senatui gubernaculis fluitantem. & c. P. Nisi ante iam de nauē meminisset, esset sanè liberior, quam oporteat. At ut uides, non repente & cum impetu irrumpit: sed pedetentim & placidè in Orationem ingreditur Metaphora, præsertim ubi paulò illustrior est, nec uno, aut altero uerbo terminatur: quare non offenduntur nouitate aures nostræ, cum in hanc Reipublicæ nauē audiunt: nihil enim ad illas accidit insolens, cū nauis mentionē proximè senserint; neq; solum nō offenduntur; sed etiam, cū id quod expectarunt, eis infunditur, delectatur, & uoluptatis quadam quasi titillatione perfruuntur, quando autē expectare uidentur aures? Tum scilicet cū is, qui Metaphoram inducturus est, aditum sibi prius & uiam ad nouæ rei mentionem similitudine patefacit: ut hic; Et enim si mihi in aliqua nauē cū meis amicis nauiganti. & c. Quasi dicat; Quemadmodum amicorum mecum nauigantium uitam libenter interitu meo conseruare, sic ego uos discessu meo à dimicatione ac cæde liberaui: ut igitur amicis in illa nauē consulere, sic in hac Reipublicæ nauē, hoc est, in ipsa Reipublica tanquā nauē periclitante, ciuibus à me consultum uolui. Nec est prætermittendum quod in illo suo pererudito, atq; aureo libello Demetrius notauit, cū à Principe ciuitatis ad gubernatorem nauis, aut ad aurigam aptè Metaphora deducatur: propterea quod omnes hi rectores sunt; recte etiam cū de ciuitate, aut de Reipublica loquimur, à nauē, aut etiam à curru Metaphoram posse capi. D. At illa, Regem semper in speculis fuisse,

fuisse, cum à te animo esset alieno, in Oratione pro Rege Deiotaro, qui potest admitti? Volebat ostendere Deiotarum semper speculatores, exploratoresq; in castris Cesaris habuisse, ut uiderent, anne aliquid aduersi Cesari accideret ut nocēdi occasione non omitteret, quorsum uox illa speculis tam improprie in alienum locum reiecta? Qui enim in speculis sunt, hi profecto in eminenti loco sunt, & spectant quid noui undequaq; fiat. Palm. Hoc tandem efficiunt imperiti quidam interpretes; tu si me audias, agnosces æquissimum esse, ut Ciceronem de re Latina tam bene meritum, cuius præsidio in multissimus contra Græcos, parentem Latinitatis appellamus. Quandoquidem qui felicius inuenire, qui facilius commodiusq; inuenta digerere, qui digesta purius, aut maiori rerum uarietate exornare potuerit, inuentus est nemo. Ceterum ut possis breuissimè Metaphoræ naturam complecti, usum ipsius breuiter indicabo.

Metaphora utimur.

1. Rei ante oculos ponendæ causa, ut; Hic tumultus terrore subito Italiam expergescit.
2. Breuitatis causa, ut; Velum manu fugit. Sic enim imprudentiam emissi teli breuissimè declaramus.
3. Obscœnitatis uitandæ causa. Huius mater quotidianis nuptijs delectatur.
4. Augendi causa, ut; Nullius in ære malum, & calamitas istius explere inimicitias, & nefariam saturare crudelitatem potest.

5 Minuendi; ut, Magno se prædicat auxilio fuisse, quia paululum in rebus difficillimis aspirauit.

6 Ornandi, ut; Nostra studia quæ malitia Barbarorum exaruerant, uirtute optimatum reuiscunt.

At si aliquando ob alias causas à nobis non enumeratas fiat Metaphora, ego non Metaphorã, sed Catachresim appellauerim. Etenim uerecunda, ut Theophrastus, Ciceroq; præcipiunt, debet esse trãslatio, ut deducta in alienum locum, nõ irruisse, atq; ut precario, non ui uenisse uideatur.

Sunt permulti, qui uoluptatis gratia, magis quam ornandi, Metaphoram quærunt: ut qui Vulcanũ in cornu conclusum dixit, cum uellet candelã in laterna lucentem indicare. Et nostro seculo obliuionis conopæo quorundam gloriam coopertam esse, dixit quidam.

Satis feliciter, Deo duce, emersisse iam è uadis, & *Copia Cicero.*  
 scopulos præteruecta uidetur Oratio mea: perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. Fr. At mihi adhuc scrupulus non exiguus restat. Video enim exultantem in Cicerone copiam à meis præceptoribus reprehendi. P. Hui, quid agunt oculi hebetes & Talpini, fulgorem Orationis ferre non possunt? Si isti ueram interpretandi Ciceronem methodum tenerent, nequaquam ista tam audacter pronunciarent. Nam qui Ciceronis uerba non intelligunt, quò spectent, & quàm aptè in sententiam conueniant; uerbosum, si Dijs placet, appellant, quibus ipsis quia deest, quod loquantur, aut scribant; aut si quid habent,

bent, non appetit, unac ornent: diuitias Orationis,  
 inopia sua conscij, in alijs ferre non possunt. Quis-  
 nam istorum est qui se non existimet Ciceronem ita  
 comode explicare, ut desiderari ab eruditis, beneq;  
 intelligētibus uiris nihil queat? Sed proh dolor? Cum  
 in Epaminunda, aut Diogenis nomen inciderunt, si  
 horum uitam ab historicis desumptam attulerint,  
 tum se suas præclare partes absoluisse credunt: cum  
 interim, in quo doctrine, quæ paulò sit occultior, ap-  
 pareant notæ, in quo ingenij lumen eluceat, in quo  
 prudentiæ uis, aut iudicij signa cernantur, nihil ad-  
 ducant, speciosis tamen et magna pollicentibus ex-  
 ordijs minimi pretij obseruationes illustrant. Dein-  
 de annotandis atq; enumerandis figuris, quasi colli-  
 gendis in littore lapillis, pueriliter occupati, si Me-  
 taphoris aliquot, Metonymiisq; annotauerint, ma-  
 gnum se, ac memorabile præstitisse aliquid arbitran-  
 tur: interea neq; deprauatis locis Medicinam adhi-  
 bēt ullam, et ubi ex intima historia, antiquitatisue  
 cognitione promendū aliquid est, aut tacent, aut ita  
 se gerūt, ut eos in rebus Romanis planè hospites es-  
 se fatearis. Fr. Do tãdem manus magister, nunc de-  
 mum agnosco ista omnia ueriora esse his quæ apud  
 Sagram. Loca enim sunt in epistolis et Orationibus  
 M. Tully malè mendis affecta quamplurima. At ho-  
 die sanari nullum uideo. Sunt ob antiquitatis obscu-  
 ram notitiam difficilia: quis est de tot interpretum  
 numero, qui lumine explanationis illustret? Deniq;  
 communia tantum, quæq; omnibus pene patent, ea  
 sumūt ad explicandū: ex abditis, quò sine labore et  
 ingenio

ingenio accessus nō est, doctrinae fontibus nihil hauriunt. Contraq; multa corrumpunt magis, dū emendare conantur, multa exponendo peruertūt, & pulcherrimas sepe sententias turpissimas in sciētiae maculis inquinant. Sed agite. N. defendet Orationem breuem & laconicam. N. laudabit copiosam.

### Encomium breuitatis.

Quicumq; uenisti & elegantes ueluti gratijs afflati esse uolunt, illam ubertatem & copiam uerborum exquirunt, quam auditores tanquam rarā, aut ignotam uehementer admirentur. At ego uetus dictum laudandum censeo; grata breuitas, gratissimus laconismus: quandoquidem nō raro accidit, ut quibusdam lapillis, epistolis, Orationibus, solam breuitatem spectantes, delectemur. Quemadmodum enim in nummis illi praestantiores creduntur, qui materia pauciore pretij amplius complectuntur: ita optima uidetur Oratio, quae paucis uerbis multa sapienter grauiterq; significat. Placuit hoc Phocioni Oratori praestantissimo, quando theatro iam pleno, cogitabundus ambulabat; & dicēti cuidam; Videris o Phocion considerationi intentus? Bene coniectas, inquit, perpendo enim, quā possim illa contrahere, de quibus sum apud Athenienses uerba factururus. Placuit eadem breuitas Gracchis, in quibus umbra agnoscitur, & quasi color opacae uetustatis. Placuit Catoni seniori, placuit Salustio Romanae historiae facile principi; & M. Tullius prudentissime obseruauit, in

Mutatius lib.  
6 cap 17.

Cal. Secūd. in  
professione. 3.  
Philipp. & 4.



historia non esse paria, & illustri breuitate dulcius. Et prudentissimus Sophocles, orationi breui multū inesse sapientie pronūciauit. Quis erit adeo amēs, aut tam auersus à uero, qui ea quæ breuissimè fieri possunt, pluribus tractanda esse fateatur. Sed quid ago? Breuitatem commendo uerbis, & re ipsa uitu-  
pero? Dum longam Orationem ad meam sententiā confirmādam exquiro? Paucis opus est, & efficacibus dixit Seneca epist 38. Quare breuitatem Orationi copiose meritò anteponendam esse censemus.

### Commendatio Orationis copiosæ.

Plinius ille Cæcilius interrogatus quid de breuitate sentiret, respondit: Præuaricatio est transire dicenda; præuaricatio est, cursim, etiam breuiter, attingere, quæ sunt inculcanda, insigenda, repetenda. Præclarum sanè responsum, & docto homine dignū, quandoquidem plerisque rebus tractatu longiore uis quædam, & pondus accedit: & multò commodius à nobis agnoscantur illa, quæ diutius in nostro conspectu, & sensibus commorantur. Contrà, quæ celerius discedunt, nullum uestigium relinquunt, quo memoria nostra, aut cogitationes excitentur. Nam ut corpori ferrum, sic Oratio non ictu magis, quàm mora animo imprimitur. Senferunt, senferunt hoc ipsum qui contortas & uibratas Demosthenis sententias appellarunt, diuitem Ciceronis linguam, Periculis fulgura & tonitrua, insidentem auditoribus aculeum laudauerunt. Quid autem nostro Cicerone

*copiosius? Quem extra omnem ingenij alicam positum Plinius admiratur. Quintilianus optimum dicendi magistrum uocat. D. Hieronymus in Latini eloquij arce stetisse confitetur. Augustinus huius libello, qui Hortensius inscribitur, salutem suam acceptam retulit. Quid huius Oratione eminentius? Qui aquarum decursus adeo exuberant? Quod pelagus inundat spatiosius? Quod fulmen uibrat impetuosius? Raptare iudicem credas, inuoluere, precipitem agere, proculcare; nec incendere auditorem modo, sed ipsum putes ardere. Late in eo uis Demosibenis ostenditur, nitet Platonis copia, allicit Isocratei iucunditas, lucet Lysiae subtilitas, splendet acumen Hyperidis, tandem quae in alijs pernituerunt singula, omnia in hoc uno cum Africani grauitate, lenitate Laelii, sonitu Aeschini efflorescunt. Hic ergo tantus in omni genere eloquentiae, breuitatem omnem effugiens, sic loquitur: Breuitas laus est interdum in aliqua parte dicendi; in uniuersa eloquentia laudem non habet. Quare breuitatem istam, tuas delicias, tibi serua: nos Orationem copiosam & exultantem quae liberè, tanquam plenus & redūdans alueus excurrat, & uagetur, admiramur.*

### *Paradoxon.*

*In Sallustio nulla est breuitas.*

*Milonem Crotoniatem fuisse legimus, discipuli charissimi, qui cum iam senex esset, athletasq; se in curriculo exercentes uideret, aspexisse lacertos suos*



dicitur, et lacrymansque dixisse: At hi quidem iam mortui sunt. Absurda uero uox, et boue potius, quam homine digna, quæ declarat illum uires non in animo sed in corpore, lateribus, et lacertis collocasse. Audiui hodie uos coram tot eruditis ex tempore perorantes, reuocastis in mentem studia mea iuuentutis, excitatus ipse non lacrymas, ut ille, emitto; sed potius uoluptate quadam penè desipio, cum uideo uos filios meos, non solum paterna sequi uestigia; sed etiam mecum in eodem stadio currere. Equidem si mihi diuinitus hoc tandem contingeret, ut in hoc tam diuturno docendi curriculo, et maximo horum studiorum spatio iam propè decurso; et flexu ætatis mee senectutem quidem nondum consecuta, nec tamē ab ea multum remota, uos uiderem meos Theseos, et in hoc labore collegas, sublimi, ut ille ait, ferirem sydera uertice, et omnium uicos ac prata contemnerē. Denique si clariores uos in literis cognouero, nequaquam inuidia, aut dolore torquebor; sed potius inaudiva uoluptate recreabor. Sic apud Poëtam; mater iam anus, amissa iuuenili palchritudine, filiorum egregia forma delectatur. Inquit enim:

Latone tacitum pertentant gaudia pectus.  
Ceterum ut in uestra disceptatione meum iudicium aperiam, Lycurgus breui Oratione, et breui gladio uti uoluit; Demosthenes Phocionis breuitatē reprehendens, dicebat uerborum meorum ἀκμή, id est, aciem surgere conspicio. Meminerimus ergo, illam breuitatem probandam esse, quæ commodè omnia complectatur; ne illud Horatianum nobis cōtingat:

Breuis

*Breuis esse laboro, obscurus fio. Breuitatem, dixit Fabius, in hoc ponimus, ut non minus, nec plus quam oportet dicamus. Horatius in epistola ad Pisones, quicquid præcipias, esto breuis, ut citò dicta percipiant animi dociles, teneantq; fideles. Est ergo breuitas à prudentia Oratoris petenda, non à præceptis; ab argumento et natura rei, de qua agitur; nõ à quorundam morosa censura: quandoquidem est etiam breuitas in longissima Oratione, cui nihil adsit alienum. Quò fit ut illorum iudiciũ minimè probem, qui Salustio breuitatem, quam non habet, tam audacter tribuant. Nam qui conciones inserat, quas nullus habuerit Imperator, easq; prælongas non raro; qui apud aras fratrum quasi in amœno diuerticulo spatietur; qui præter historię argumentũ Catonis Cæsarisq; collatione plurimos uersus occupet; qui ad Catilinæ bellum narrandum principia urbis Romæ arcessat: non uideo quo consilio breuem potius, quam prolixum, uel etiam nimiam, superuacaneumq; existinemus. At dices; idcirco breuem uoco, quia rem personamq; narrat, consilia ac deliberationes omittit, factum ipsum nudum illico ponit. Huius quid hoc? commentarium ab ipso, nõ historiam pleniorẽ scriptum esse credis, qui sit historię pater appellatus? Ego non solum quod isti negant Salustium fecisse dico, sed etiam apparatus addere spem, metum, modum, euentum, atq; etiam excurrere interdum. Nihil describit sine circumstantiis: Milites, inquit, Romani perculsi tumultu insolito arma capere; alij sese abdere; pars territos confirmare, trepidare omnibus*

locis, ut magna uosum, cœlum nocte & nubibus  
 obscuratum: periculum anceps: postremò fugere, an  
 manere tutius foret in incerto erat. Hæc dictio adeò  
 ampla, adeò fusa est, ut nihil addi posse uideatur. Eã  
 si uoles contrahere, sic breuem efficies. Paucorum  
 corruptione ausum noctu castra aggredi, in iis tre-  
 pidatũ. Cæterum qui potestis dicere concilia omis-  
 sa? nonne rationem reddit cur Iugurtha Cirtham  
 oppugnet? Nonne belli apparatus Metelli Consulis  
 multis uerbis describit? Et cum imbellem exercitum  
 accipit ab Albinio Orationem non solum non bre-  
 uem, sed etiam opulentam ostendit? Præterea quæ in  
 Catilinæ bello geruntur, breuissimè describit. Cæte-  
 ra omnia in consilijs declarandis producuntur.  
 Breuitas ergo, si qua est in Sallustio, quia nonnun-  
 quam tribus uocibus integras explet sententias, non  
 circumducit, non interponit; asyndethis utitur, o-  
 mittit uerba. Sed de his aliàs; proponat aliquis quæ  
 uolet. N.

### Consonantiam in Cicerone uiciosam non esse.

Occurrunt etiam nonnulla, quæ si mihi integrũ  
 esset exponerẽ. P. Age, aderit tuus aduersarius Ioã-  
 nius. G. Nunc tandem agnosco, eos qui amant, pro-  
 fus cæcutire. Nam isti qui Ciceronem amant, uitia  
 pro uirtutibus colunt. Quid dicemus nisi mundum  
 consenescere, & deteriora fieri posteriorum ingenia?  
 quandoquidẽ nihil omninò ferre, nihil laudare pos-  
 sunt, quod ad istius Ciceronis deliramenta non aspi-  
 ret.

ret. Io. Bona uerba. Heus tu Ciceronem honoris causa nominato. G. Quid aliud efficiam miser? Video reprehendi nostræ ætatis scriptores aliquot, nullam aliam ob causam, nisi quod dictiones ab iisdem syllabis incipientes coniungerent: at Cicero

Luce lucebat aliena,  
Res mihi inuisæ uisæ sunt,  
O fortunatam natam.

Fabius lib. 9. cap. 4. uidendum etiam, ne syllabæ uerbi prioris ultimæ, sint primæ sequentis. Io. Præclarè ista mi Nauarre, audi iam quæ Ioannes Morisotus ad istum Quintiliani locum diluendū adducat. Nescio an contradicendi studio, quo maxima quæq; ingenia tentantur, prolapsus sit in errorem. Est enim parichisis, seu parechema, quod sic ab Erasmo defenditur. Id studium fuisse uidetur Quintiliano, ut omnia secus diceret, quàm Cicero: quare fit, ut nō raro dicat inelegantiùs, atq; etiam obscuriùs.

Video Ciceronem Periodos aliquot ex Platone, Terentio, & Isocrate ita ad usus suos conuertere, ut impudenter admodum furto omnia sustulisse uideatur. Cur ergo uolunt quidam ut nos solum Ciceronem amplectamur? Ego multò præstantius esse iudico, eosdem fontes unde ille hausit, adire, ut puriores & copiosiores undas hauriamus. P. Dixisses commodius integrum nobis esse à Cicerone sumere, quàm admodum ille à Platone sumpsit. S. At hoc esset nō suo Marte, sed hinc atq; hinc emendicatis uerbis & sententijs componere Orationem, ut uel quædam, uel cætiones conficias. P. Verum hoc quidem, si ex Cicerone

Ciceronē imitabimur solū.

dictiones auquot, ex Plinio Periodos integras, ex Seneca phrasas, aut sententias accipias. At si ex Cicerone aliquid accipiam laudabile, deinde quæ ego cōiungo sint iuxta elocutionis præcepta optime disposita; ita ut hic Dichoreus, illic Anaphora, Auxesis, Antitheton, paria paribus relata eniteant: non uereor ut uulgus suo uocabulo meam Orationem cōsarcinatam uocet. Quod Ciceroni in sua & natua lingua concessum fuit, non licebit mihi in aliena? Dixit Terent. in Heauton. Atq; istuc quicquid est, fac me ut sciam, aut consolando, aut consilio, aut re iuuero. Eadem uerb. lib. 7. epist. ad Trebatium Cicero usurpat. In libris quoq; de Senectute integras Platonis periodos reperio. Sed mirum nō est, ab eo quē tanti faciebat, aliquid mutuó sumere. Quātum uerò ipsum dilexerit, hinc agnosces.

Errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facis scio, & quem ex tuo ore admiror, quàm cum istis uera sentire.

Etenim si nullam rationem afferret Plato, uide quid homini tribuam, ipsa auctoritate me frāgeret.

Platonem omnibus locis diuinum, sapientissimū, sanctissimum, & Homerū Philosophorum appellat.

Audiamus enim Platonem quasi quendam Philosophorum deum.

Ille non intelligendi solū, sed etiam dicendi grauius auctor et magister Plato.

Non est igitur, quod mihi uitio uertas, si ipse amore cæcutio. Rapit enim me uel inuitum Ciceronis ubertas, trahūc me uerba exquisita, exculta, Latini-

tinissimæ

Quæ Cicerone ex Terentio & alijs furto sustulerit, hab. apud P. Victorium in lib. var. lecti,

tinissima. Et ut ille ex alijs mutuò sumebat, sic ipse ex Cicerone libèter summo. Virgilius ex Ennio uerba nihil immutata in sua scripta transtulit; Terentius ex Liuiio Andronico. Sed ut rem in pauca conferamus, audite quid in sua *Questura* Sebastianus Corradus obseruauerit;

Ego factum nō appello, quod neq; inuito domino aliquis teneat; & is qui habet, ultro & libèter omnibus ostendet; & si rogetur unde habeat, profiteatur.

Ego singula Ciceronis uerba, tum uerborum cōprehensiones integras memoriae soleo mandare. Inde fit, ut rebus multis referendis, uerba Ciceronis usurpem. Interdum tamen soleo, si res ita postulet, aliquod uerbum uel addere, uel demere, uel etiā mutare.

Hactenus Seb. Corradus.

Tandem fremant omnes licet, dicam audacter quod sentio. Ex cæteris scriptoribus una, aut altera uirtus peti potest: hic omnia, ut sic dicā, implet munia solusq; pomeria Romane eloquētiæ tātum protulit, quantum Imperatorum nemo uictoricibus armis Imperium propagauit: ut non iniuria Apollonius Molonis cum Ciceronem Rhodi orantem audiisset, ingemuerit uicem Græcorum; quibus cum Romana uirtus Imperium abstulisset, id quod unū reliquum erat, eloquentiam scilicet, Cicero quasi spoliū ex deuictis ingenijs, in Italiam reportarit. Legisne aliquando Ciceronem? Age, nonne ipsam Eloquentiam in theatro deambulantem uides? *Dij boni quis*

Sallust totum  
ex or. or. a  
Cato repr. ē  
dit Catil. ex 3  
Olynthia. De  
most. a. cepit.  
Erasm. lib. de  
ling. ex Plut.  
de garrulita.  
Politian. præ-  
fationē in Ho-  
mer. ex Pluta.





quis dabitus oris? Quæ animorum imago non se nobis ingerit? Quantis ille hastas lacertis in Orationibus iaculatur? Quos ille clamores, quos tumultus elicit cum indignatur? Quos luctus, quas lacrymas, quando ad misericordiam auditores commouet? Quando illa uerba legimus: Reuocare tu me in patriam Milo potuisti. &c. Totus animus noster inflammatus exarsit. Profectò si Ciceronẽ e medio tollas, Oratio tua iacebit, non aliter, quàm si nauis oneraria pacato in mari remittentibus uentis fluctuet tantum; neq; promoueat, neq; exoptatum portum ullo tempore consequatur.

D. Vt cumq; ferendum esset, magister charissime, si tantum ad declamationes integras tibi *ὄντι πρὸς λόγον* esse uideremur. Sed, ut intelligo, etiam ad hæc minima fragmenta nos ineptissimos esse iudicas. Caue ne tu qui hætenus insigni humilitate, & benignitate nobis fuisti longè charissimus, nunc contra ueterem consuetudinem arrogantior factus, discipulorum odia in te concilies. Habes in hac prima Classe tam numerosum gregem, habes tibi addictos iuuenes, & tam felici ingenio præditos; ut nec plures, nec ingeniosiores sis ullo tempore consecutus. Quoniã autem Philosophi aliquot, & Theologi inter nos studiosissimi, incredibili humanitate, & diligentia, Oratoriam facultatem exercent; illos aspicias, illos doces, illos habes in delicijs: nos tanquam abiectos culices summa seueritate contemnis. Nonne, N. N. digni tibi uidentur, quos etiam subin te interroges? Non negamus Philosophos istos & alios dignos esse quos

quos tu magno honore afficias. Sed nos ita iumus animati, ut unusquisq; de se ipso dicat, Nec sum adeo informis, uuper me in littore uidi. Quamobrē cum intelligas, in quo tandem summa præceptoris laus posita sit; non in eo, ut tibi multum tribuas, sed ut tibi quamplurimum tribuatur. Eam uerò quò maiore humanitatis lepore condita sit, eò gratiorē accidere: Erunt partes tuæ, ut posthac humilius de te, de alijs magnificentius & loquaris, & sentias, atq; nimiam istam Catonis Uticensis, cuius te æmulum esse profiteris, exoletam iam seculorum diuturnitate seueritatem abijcias, constantiam amplectaris, Censorij supercilium deponas, humilitatem frequentius imiteris.

### Palmyrenus.

In laudata Regis Persarū educatione memorie proditum lego Audi. char. fuisse famulum quendam à cubiculo, qui matutinis horis Regē ipsum hac rati-  
 tiane excitaret, ἀνάστα ὁ βασιλεὺς καὶ φρονίστε ὡς σε φρονίστερ μεσορομάσδης ἰθέλησθε. Surge ὦ Rex, & ea cogita, quæ te cogitare uoluit Mesoromasdes. Quibus uerbis admonebatur Rex parere institutis Zerostii. Erant autem hæc instituta, Deorum religionem colere, ueritatem tueri, libidini imperare, nihil extimescere, & animum supra res humanas attollere. Hoc imitatus ipse admonui hodie adolescentem hūc ut me Persarum exemplo excitaret; quare ne illi uisio tribuatis, quòd paulò acerbior in præceptorem fuerit. N. cras hora octaua me breui præfatione ab

istis

istis calumnijs uerberat. Nunc Philosophum acutissimum audiamus. Dixit enim se attulisse nonnulla, quae disputatione splendida uobis communia facere decreuerit.

Quoniam non pauca scripta sunt ab antiquis, quorum autoritate ueritas passa est conuulsionem, non alienum fuerit Alexandri Rhetoris definitionem perpendere; ut periodi doctrina parius elucescat. Περίοδος ἔστι λόγος ἄνευ πρῶτης γραφῆς καὶ κώλων οὐκ ἔστι αὐτοτελὴς διάνοια ἐκφίρω. P. Quid ergo occurrit reprehensione dignum? G. In primis assequi non possum, quò fiat hoc, ut Periodus talem habeat definitionem; in qua excludatur κώλος, quod eius pars est. Nam tametsi quaedam plantæ nullum fructum ferunt, tamen ipsum plantarum genus nunquã per sterilitatem definias. Quonam modo Periodum in simplicem & compositam diuides? est enim simplex quæ nullis constat colis; composita quæ ex colis conficitur. Tandem fallitur idem autor, cum ait hæc esse commata: Modus optimus. Cognosce te ipsum. Continent enim sententiam perfectam, neque cuiusque Orationis partes sunt. Sunt igitur Periodi. Neque enim quod breues sunt, Periodi naturam exuere. Idem enim est homo pusillus, & gigas, quod ad essentiam pertinet. Præterea quonam modo potest ille definire ἄνευ κώλων, cum exemplum addat, cuius partes appellat cola, & totum ipsum uocat Periodum tricolon. P. Acute profectò obseruasti hæc omnia, commisit etiam & alium pudendum errorem: nam quod in illo exemplo uocat primum colon, falsum est.

est, ut ex ipsius definitione deprehenditur. Sed mihi integrum non est scriptorum ueterum auctoritatem imminuere, iam enim deserbuit in nobis alacritas iuuenilis, tuum est ista exquirere. Docui iam ipse breuissimè quæ de Periodo sentiebam. G. Audi igitur quid ipse ex uarijs autoribus collegerim, ut tuo iudicio approbata, possim tutò laudare. P. Fiat. Periodus est Oratio sibi perficiens sententiam. Colon est Oratio Periodo perficiens sententiam. Comma pars composita sine uerbo, sententiæ illius partem significans, ut; *Arma, uirumq; cano: Troiæ qui primus ab oris.* Primum membrum commata duo habet; *Arma, & uirumq; cano;* duo enim esse declarat coniunctio, quæ non solet nisi separata coniungere. Est igitur Colon pars Periodi suo uerbo fulta, quòd si multe sint Periodi partes ad unum relatæ uerbū, non illa Cola, sed commata appellabo. Non enim dicuntur membra in hominibus, nisi proprium habeant motum: non mouetur Oratio, nisi per uerbū. Hæc membra cum secantur, comata dicuntur. Ita à nobis definita partes compositæ, ut hoc differrent à partibus simplicibus, nomine, uerbo, alijs: sine uerbo totius sententiæ partem significantes, ut hoc differret à membris. P. Eadè fermè dicis, quæ nos in elocutione nostra extremo capite obseruauimus. Posses etiam meritò iureq; optimo à Trapezuntio exquirere, cur Aristotelis definitionem reiecerit, & suam tam alienam à re ipsa apposuerit? Longam Periodū exquirat; *Parentes ama.* Quid erit si non est Periodus? Cur addidit in definitione rotunda, nonne cum

ambitus; aut periodus dicitur, hoc ipsum declarat? Proinde non minus ineptè in illa Ciceroniana narratione incisa pro membris recensuit. Sopater quidam Aliciensis, homo domi suæ in primis locuples atq; honestus, ab inimicis suis apud. &c. Cola enim membra ea sunt, quæ aliter μέλη appellantur: quorū officijs actiones suæ cuiq; perficiuntur. At quæ actio fit in illis uerbis, Sopater quidam Aliciensis; quid tū postea? G. Probè mones, sed audi reliqua. P. Perge. G. Est ergo periodus, ut dicebam, aut simplex, aut cōposita; & composita, aut ex commatis, aut colis, membrorum numerum à duobus usq; ad quatuor producere consueuimus; quod excedit, uitiosum est, & λόγος ἀνεξόλιμος, aut deuiatio dicitur. Quidam Rhetores Orationem diuidunt in familiarem & solutā, aut ambitu uel periodo constantem.

Soluta est, quæ nulla membrorum compositione aut numero constat: qualis est in epistolis, aut colloquio familiari.

Ambitu constans, est ea, quæ sententiam certa quadam circumscriptione determinat. Vocatur ambitus, aut periodus; cum tanquam in orbe inclusa currit Oratio, quòad insistat in singulis perfectis, absolutisq; sententijs. Aristoteles periodum esse testatur Orationem, quæ natura sua principium habeat, & finem, hoc est. partes mutuò ex se pendētes, quas dicere possis antecedens & consequens, uel propositionem & cōuersionem; quam & ἀπὸδοσις & redditionem uocant.

Parte. ps.  
uodi.

Constat autem Periodus Commatis, & Colis. Cōmata

*mata Cicero incisa uocat. Sunt enim imperfectæ Orationes, & inchoatæ; atq; adeo singula uerba interdum. Cola membra sunt, & in longa Periodo pene perfectæ Orationes: quarum tamen adhuc sensus pendeat, & adungi sibi præterea aliquid aliud postulet. Sæpiissime Colon integram sententiam complectitur: ut, Quæ homines arant, nauigant, ædificant, uirtuti omnia parent. Huius membri Cōmatæ & quasi articuli sunt, arant, nauigant, ædificant.*

Breuiter, Periodus est Orationis uelut integrum quoddam corpus, è suis quasi membris constans, quæ cola dicuntur. Membrum est sensus perfectus quidē nonnunquam, sed à toto quasi corpore abruptus, & per se ipse nihil efficiens: ut; O callidos homines. perfectum est, sed remotum à cæteris uim non habet; ut per se manus, & pes, & caput. Sequitur; O rem excogitatam, ô ingenia metuenda. Hæc quoq; membra sunt. Quando ergo incipit corpus esse? nimirū cum iam uenit extrema conclusio. Quem quasi nostrum fefellit, id uos ita esse facturos? Hoc ex Cicerone Fabius. Comma seu incisum, pars membri est, ac uelut articulus. Cic. Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. Hic quatuor incisa sunt.

Genera Periodi Fabius duo facit. Alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumcluditur, hoc est, cum unico membro periodus constat, rotundiore tamen & prolixiore. huiusmodi periodum quidam *μερόκολον* dici adnotat. in quibus Aquila Romanus. Quale est illud Ciceronis, Consularis homo, non minimis facultatibus usus, quandam amicorū

multorum præiuro munus, nunc partim ab amicis, partim ab inimicis circumuentus, eget indignè. Sed hanc compositionem, Periodi nomine indignā esse, iudicandum est; propterea quod conuersionē & ἀποδοσιν, aut simile ferè quid, ita ut cætera Periodi, non habeat. Abutimur tamen Periodi nomine interdum pro absoluta sententia, in qua nihil desideretur, modò ea sit prolixius exposita, & quasi ambitum habeat rotundiorem. ut, Post Syracusas conditas, quem in portum nunquam hostis accesserat, in eo te Prætores primùm Pyratæ nauigauerunt. Periodi faciem præ se fert, cum reuerà non sit. Sed & Diomedes 2. in lectione plenam sententiam περιόδου dici testatur, hoc est omnem Orationis contextum, in quo integer sit sensus; id quod & Donatus docet.

Alterum genus, quod membris constat, & incisus, quæ plures quidem sensus habeant, sed principalis sententiæ, hoc est Periodo absoluendæ & concludendæ subseruientes. Bimembris igitur periodus est, quæ colis duobus constat, quot membris (ut minimum) constare Periodum uolunt; ut Cic. pro Archia; Quare in qua urbe Imperatores propè armati, Poëtarum nomen & Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati Iudices à Musarum honore, & à Poëtarum salute abhorreere.

Trimembris Periodus est, quæ tribus constat membris. Cic. Etenim si ueritate, amicitia, fide, societas; pietate propinquitas colitur; necesse est is qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, uanum se, & perfidiosum, & impium esse fateatur.

fateatur.

Quadrimestris, quæ quatuor membris constat, ut Cic. Si quantum in agro, locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atq; iudicijs impudentia ualeret, non minus nunc in causa cederet. A. Cæcinnæ Sexti Eburni impudentiæ, quàm tunc in ui faciendâ cessit audaciæ. In hac Periodo mixta sunt eleganter ἰσοκωλον, ὁμοίόπων, καὶ ὁμοιοῦλευτον. Idem: Nonne igitur indignum est, eos præmijs meis inuidere, qui uirtute certare noluerunt? Eos in contentionem honoris uenire, qui officijs se superari æquissimo animo tulerunt?

Quamuis autem uix unquam plura, quàm quatuor in unam periodum cōnecti membra uelint, alioqui Periodi nomen amittere; tamen id non semper obseruari constat: ut apud Terent. in Heauton.

Quāquā hæc inter nos nuper notitia admodū est, Inde. &c.

Hæc periodus, ut minimum, sex habet membra satis quidem prolixa. Sed & Cicero ipse non raro periodos ambitu longiore circumducit. ut in epistola ad Marcell. Et si eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, nō quin ab eo ipse dissentiam, sed quòd ea te sapientia esse iudicē, ut meum consilium non anteponā tuo: tamen & amicitie nostræ uetustas, & tua summa erga me beneuolentia, quæ mihi iā à puero cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ & salutem tuam cōducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate.



Non me quidem fugit posse huic circūductioni, & continuationi membrorum aliud ab alijs dari nomen; propterea quod Cicero periodi modū quatuor serē Senarijs uersibus terminarit. Sed nos Periodi uoce, quod ad formam attinet, latius & liberius utimur, & uariis eius nec uniusmodi species facimus. Qua de re mox pluribus. Tametsi Fabius quoque testatur Periodos membra habere minimum duo. Medium numerum uideri quatuor. sed recipere frequenter & plura. Nec in alia propemodum sententia Cicero ipse fuit, si uerba eius in Oratore diligenter species. Quod ad materiam periodi attinet, non quæuis cōtinuatio membrorum periodus statim est: sed ea demum, in qua sententia in una Commatum & membrorum circūductione & connexionione causam continet, uel effectum, uel antecedens & consequens; uel duo, pluraue similia, aut diuersa, aut opposita. ut Cicero pro Fonteio; *Cauete ne periculosum superbumque sit, eius uos obsecrationem repudiare, cuius preces, si dii aspernantur, hæc salua esse non possent.*

Tales serē sunt & illæ periodi, quas exempli causa supra posuimus. Omnino enim periodus non tam uerborum & Orationis, quam rerum est connexio in unam sententiam. adeo continua & apta, ut instar partium serē syllogismi cohereat, & speciem præ se connexi & propositionis hypotheticæ ferat. Nec defuere qui acutè concinnata argumenta, & breuiter conclusa, & contortè uibrata, eas demum ueras esse periodos censerent: ut, Quos cum plures essent

essent, uicimus, eos pauciores iam timemus?

Cic. pro Milone.

Eius igitur mortis sedetis ultores; cuius uitam si putetis per uos restitui posse, uolitis. Idem pro P. Sestio: Eius igitur uitam quisquam spoliandam ornamentis esse ducet, cuius mortem ornandam monumento sempiterno putaretis?

Nam Oratio illa sinuosa & prolixior, quæq; fusa habeat & solutiora membra; non tamen uagantia, aut dissipata; cuiusmodi fluxum, ut sic dicam, & ambitum in historicis uidemus, non periodus, sed *περίοδος* dicitur, ut Liuius. i. ab urbe condita: iam primum omnium satis constat, Troia capta, in caeteros seuitum esse Troianos, duobus Aenea, Antenoreq; & uetusti iure hospitij, & quia pacis, reddendæq; Helenæ semper autores fuerunt, omne ius belli Achiuos abstinuisse. Breuiter, Oratio in historicis, non periodica & contorta est, sed tracta & fluens: ut Cicero inquit: Veræ quidem, & ex germana illa nota periodi sunt, quæ & definitos atq; astrictos habent numeros, & breuiora atq; argutiora membra, eademq; uelut contorta. Et quod supra dixi, non uerum minus in periodo, quam uerborum esse connexionem, & consequentiam oportet, & quasi coherentiam aptè connectenq; coagmentatam.

Sunt particule quædam ad periodos conficiendas aptæ, uelut ex quarum altera ferè ad alteram spectat: ut; *Tantum* & *quantum*; adeò, ut; *cum tam*; *etsi*, *tamen*; *is*, *qui*. Breuiter particule Relatiuæ, Comparatiuæ, Aduersiuæ, Causales, & Rationales.

Hæc & ablatiui pertinent absolute positi, qui serè consequentiam quandam significant.

Sunt autem uariæ species & multiformes Periodorum, quæ res per exempla subiecta melius percipi atq; intelligi poterit. De periodo illa uera & germana, quæ uel quadam & rem & membra colligit, rotundèq; explicat satis est ante dictum. Hæc uenustissime sit, cum ex antihetis ubi contraria contrarijs opponuntur; tum ex acutè concluso argumento.

Sunt & Periodi, ubi membra innectantur, atq; implicentur laxius, & absq; uel. Quæ à quibusdam Continuatio nominatur: ut pro Milone; tibi uere or Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo uirò dicere incipientem timere, minimèq; deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quam de sua perturbetur, me ad eius causam præm animi magnitudinè afferre non posse; tamè hæc noui iudicij noua forma terret oculos; qui quocunq; incidernit, ueterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minimè uident.

Productio spiritus dicitur, quæ multa continenter capit membra, quasi eodem tenore & conformatione Orationis. Græcè πνεύμα, quòd spiritus non conquiescat, donec sit ad finem & exitum peruentum. ut in 1. Verr. Quòd si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam grauem non haberem. & c.

Periodi uim habent, & incisa quædam aptè inter se quadrantia. ut, Ad amentiam te natura peperit, ad scelus exercuit educatio, ad supplicium fortuna resera

reseruauit. Ipsa enim congruus applicatio, nexus habet uicem, ut ille ait.


Que Periodus membra non habet, incisi pro membris habet: ut; Magna fuit prudentia, & in magistratu gratiam omnium, & in priuata uita auctoritatem conseruare. Quod si quis hanc Periodū esse neget, haud multum equidem relictabor.

Membra Periodi uel per se proponuntur ac uel quodam; uel unum proponitur, alterū redditur, aut duo; uel in quadrimembri duo proponuntur, duo redduntur aliās consequenter, aliās decussatim. Consequenter sic; Qui admonēt amice, docendi sunt; qui inimicē insectantur, repellendi. Decussatim sic; Nam quia quantō pater prestantior fuit uirtute, tantō filius ad uitia prociētor; idcirco & illius admirabilior est uirtus, & huius inuisior ignauia.

Illud obseruandum, exordia & confirmationes magis Periodos recipere, quā narrationes, quæ Colis ferē constant. Sed & contentiones, & disputationes raras habent periodos: quod hæc potius breuibus quibusdā membris, quasi aculeis consistēt. Quintilianus lib. 9. cap. 4. Vbicunq; (inquit) acriter erit & instanter, pugnaciterq; dicendum, membratim, casimq; dicemus. Paulō post: Membratim plerunq; narrabimus, aut ipsas periodos maioribus uel ualidius, & uelut laxioribus nodis resoluemus, exceptis que non docendi gratia, sed ornandi narrantur.

Periodus apta proœmijs maiorum causarum, itē communibus locis, & in omni amplificatione multiplicatur & in Epilogis pollet. Hæc Fabius.

De Colis.



Commatis sere conuolat sermo quotidianus & familiaris. Nam hic modo breuia, modo longiuscula habet commata, tanquam articulos Orationis. Neq; tamen ex meris commatibus fit sermo familiaris, sed crebrioribus.

Colis sere utimur in epistolis familiaribus; nisi si quod argumentum grauis tractetur. Item in Dialogis, & Philosophicis disputationibus.

Constat autem Colon duobus, ut minimum, commatis, ut, Obsequium amicos, ueritas odium parit. Plerunq; tamen plura Commata sunt in Orationis membro; quemadmodum articuli plures in membro uno corporis.

Cola in narrationibus crebra sunt: ut; Milo domum uenit, calceos & uestimenta mutauit; paulisper dum se uxor (ut sit) comparat, commoratus est. Sic in Contentionibus, ut; Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro peribat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

Est cum inter Schemata referantur Cola & Commata; idq; si aut duo ut minimum; aut tria concurrant membra: nec enim unum membrum, nec articulus unus schema facit. ut; Et inimico proderas, & amicum ledebas, & tibi ipse non consulebas. Hic sunt tria membra. Sic; Acrimonia, uoce, uultu, aduersarios perterruisti. Hic commata tria. Hæc non solum ad elegantiam & uenustatem, sed ad uehementiam quoq; mirè faciunt. In utrisq; illud obseruandum, ut

per gradus increſcat Oratio; uidelicet u. grauiſſimum quodq; poſtremo ponatur loco. Sunt autem aſſeſcendi iam à principio ſtatim pueri, & in hanc rationem & conſuetudinem inducendi, ut & ad aliud orationem contexere diſcant. Nam hoc pacto (ut alias commoditates omittam) cum illi uagi multiplicesq; cogitationum cohibebuntur errores, tum inæqualitas & inconstantia Orationis uitabiatur. Sic inquam & ſententiæ numeroſius atq; aptius conneſcentur, & erit Oratio ipſa non ſolum plenior atque ſonantior; ſed & dilucidior & perſpicua magis.

P. Satis feliciter; ſed audiamus. N.

N. Poſteaquam auunculus meus olim Academiae Ceſaraugustanae ornamentum in ſata conceſſit, eò deducta res literaria eſt, ut ludimagiſtri aliquot in exiguis quibusdam Aragoniae oppidulis Grammaticam & Oratoriam facultatem magno Reip. detrimento coniungant. Quare eò felicitatis euehūtur, ut ſortem ſuam neq; cum Perſarum Regibus cupiāt permutare. Nihil proſectò eſſet hoc hominum genere calamitoſius, nihil afflictiſſius, nihil Muſis magis inuiſum; niſi Philautia miſerrimæ profeſſionis incommoda dulci quodam uoluptatis genere mitigaret. Hæc enim ſola efficit, ut qui inuis famelici, ſordidiq; in ludis illis ſuis, uel piſtrinis potiſ inter puerorū greges conſeneſcant laboribus, obſurdeſcant clamoribus, ſætere, pœdoreq; contabeſcant, tamē ſibi primi mortalium eſſe uideantur. Adeò ſibi placent, diē pauidam turbam minaci uultu, uoceq; territant; diē

ferulis, udgīs, lorīsq; conyindūt miseros, dumq; mō  
dis omnibus suo arbitrato ſeuiunt, aſinum illū Cu-  
xanum imitantes. Interim ſordes illæ meræ mundi-  
tiæ uidentur, pœdor amaracinum olet, miſerrima il-  
la ſeruitus regnum eſſe putatur; adeo ut tyrannidē  
ſiam nolint cum Phalaridis, aut Dionyſij imperio  
commutare. Ita fit ut audacter Perſij Satyras, &  
Rhetoricam Ioachimi Fortij interpretentur. Cæte-  
rū ſi argumentum, aut thema exquiras ad exerci-  
tationem eloquentiæ, hoc uuum reſpondent; lauda  
eloquentiam, uitupera Barbariam. Equidem ſi nul-  
lam aliam uſam nobis præberet eloquentia, ego fa-  
cilē Rhetorum præcepta Vulcano traderem: quare  
maſter chariſſime, præbe nobis, quod uideas ad  
hoc noſtrum uotum maximē accommodatū, & un-  
de poſſimus uberes fructus expectare.

Palm. Utinam non eſſent tam uera quæ dicis: ex-  
pertus enim ſum meo magno malo. Nam ſuperiori-  
bus annis, ſeuiente peſte apud Valentinos, illuc me  
recepī; & quidā Grammaticus uoce ſtētoſa ſic me  
euertere conatus eſt. Sic arguo, dicēdum eſt xere, nō  
chere; malē ergo uos Valentini pronūciatis. Reſpō-  
di ego; Si tu Græcus es, agamus Græcē, & propone  
aliquid ex Homero, Pindaro, & Theocrito, in quo  
poſſis aut Euſtathij, aut Porphyrij interpretationē  
laudare. Vidiffes inſignem hominis arrogantiam.  
Dij boni? quem non ille Palemonem, quem non Do-  
natum præ ſe contemnebat? quæ exultatio, qui triū-  
phi, quæ encomia, perinde quaſi uel Africam deui-  
ciſſet, uel Babylonas cepiſſet? diſſitabat paſſim, hui-  
iſte

iste non scit respondere. Sed ad rem.

Ego meos eloquentiæ candidatos in primis exerceo in his, quæ libro primo de Inactione tradidi, potissimum uerò in illis quæ pag. 43. & 45. à nobis explicantur.

Deinde ubi probè isthæc omnia, & 14. opera minora feliciter tractare didicerant, ad Declamationes integras eos manu ducimus; ut ex sequentibus intelliges.

Heus tu excita matronas Valentinas, ut propria lacte enutriat, quod pepererint. Tu uerò ostende hoc illis incommodum esse.

Tu ostendes M. Horatiū indignum esse supplicio, ille dignissimum dicet.

Tu confirma uxorem esse ducendam, ille non ducendam esse ostendet.

Peregrinandum esse; aut contra, inutilem esse peregrinationem.

Tu suade Ciceroni, ut conditionem ab Antonio oblatam accipiat.

Tu fac ut Phenix suadeat Achilli, ut redeat in prælium.

Vlysses suadeat Troianis, ut Helenam reddant, potius quam bellum experiantur.

Tu lauda ieiuniū, & memineris in descriptione ieiunantis, locupletare hypotyposin D. Chryso-  
mi, quæ sic habet; ieiunantis color reuerendus est, nō ad impudentem ruborem efflorescens, sed temperato pallore ornatus, oculus māsuetus, gressus submissus, facies meditabunda, quæ proteruo risu non deco-



*decoratur: moderatus sermo, cum puritate cordis.*

*Iudicum maior numerus probetur, & obtineat. Erant 7. iudices, quorum tres hunc hominem capitale damnarunt; duo exilio; reliqui duo absoluunt. Tu dices, plures sunt quatuor, quam tres, ergo non debet mori. Tu à fine argumentaberis; multum interest, maior numerus idem sentiat, an diuersum.*

*Tu confer artem militarem cum iuris prudentia, & dilue Ciceronis sententiam in Oratione pro Muræna.*

*Lex erat, Sacerdos casta castis pura sit. Quædã uirgo à piratis capta, empta à lenone, & prostituta est. Venientes ad se exorabat stipem; militem qui ad se uenerat, cum exorare non posset, eum luçantem & uim inferre uolentem, interfecit, accusata, absoluta, & reuersa ad suos est. Petit Sacerdotium, contra.*

*Tu ostende nihil esse Agricultura utilius ad ciuitatis quietem & salutem; tu uerò nihil esse milite laudabilius.*

*Incesta saxo deiciatur; Thema incesti damnata antequam deiceretur, Vestam inuocauit, deiecta uixit; repetitur ad pœnam, contradicitur.*

*Tu aquam igni præponendam esse doce; ille contra ignem aquæ anteponendum esse declarabit.*

*Tu res omnes in ea orbis parte, quæ ad Orientem uergit, præstantiores esse dices; hic uerò occidentales laudabit.*

*Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dū utrumq; corpus interficiat, sine fraude sit; liceat adulteræ*

*Adulterium & in matre filio uindicare. Thema; Vir fortis in bello manus perdidit, deprehendit adulterum cum uxore de qua filium adolescentem habebat; iussit ut filius occideret, non occidit; adulter effugit; abdicatur filius; contradicitur.*

*Decedens pater testamento iussit, ut filia nuberet tutoris filio postea reddita tutela, filius tutoris eam petit; contradicitur.*

*Deposuit quidam apud amicum frumenti centum modios, dicens quanti emerat, nempe centum aureis: ille duplo uendit, & offert centum aureos: petuntur ducenti.*

*Tu ostende senes ad gubernandam Rempublicam aptiores esse; ille adolescentes commendabit.*

*Iuuenis studiosus cum detineretur in uinculis a Gymnasiarcho Valentino; uocatus est in ius apud praefectum urbis. Tu accusa, & ostende delatum non comparuisse, ideoque peractum esse reum eius criminis, ex quo deponitur. Tu uero defende.*

*Praefectus urbis cum obsidione & fame premeretur; nec posset ullo modo persuadere ciuibus, ut irruptione facta, ex urbe hostem pellerent; noctu murum perfodit: quae egressi fortissimi quique hostem fuerunt, accusatur laesae Reipub.*

*Lauda tu mercaturam, uituperet ille, de sententia Tiraquelli, aut Calij secundi.*

*Longum esset omnia persequi; nam tempus ipsum nobis argumenta ad declamandum praebet. Si quis enim uir Illustris moritur, statim Orationem funebre dictamus; si ducit uxorem Orationem nuptiale.*

si ut oem ingreatur ante ignotus, panegyricum  
prebemus.

Interdum hæc de scripto recitant; aliquando, ut  
memoria & actio excolantur, ex ipso suggestu aduo  
catis aliquot Academiæ Doctoribus, ut hoc modo  
avidiores laudum fiant.

Aut iubeo ut in eodem argumento hic exordium  
conficiat, ille narrationem, alius confirmationem,  
alius perorationem; ac tandem aliquis has partes con  
iungat, & integram Orationem efficiat.

Vt habeant paratam suppellectilem Oratoriam,  
propono præmium illi, qui intra dies octo memori  
ter recitauerit plura

Similia,

Exempla,

Apophthegmata,

Sententias,

Adynata Poëtarum.

Item quæ Se  
necat atq; per  
capita breuis  
semper sequit

Ac tandem 137. Argumenta traſamus, quæ à Pe  
tro Aerodio in Quint. declamationibus colliguntur.

Nonnunquam disputant de uera expositione ali  
cuius adagij; ut quid sit Abydeni uatio, Orci galea,  
Durateus equus.

Aut paraphrasi liberiore uersus Homericos, aut  
Virgilianos interpretantur.

Aut carmen saphicum Horatij in elegiacum cõ  
uertunt.

Aliquoties iubentur Ciceronis Epistolam in Hi  
spanicam linguam conuertere; & clauso libro ean  
dem Latinam facere.

Salutant se etiam frequenter amatorijs, & officiosis epistolis.

Sæpenumerò præbeo illis argumentationē quinq; partibus, dilemma duabus; nunc expolitionem, quã uocant 7. partibus explicandam.

Aut sententiam ex quatuor cõstantem partibus, utrique simili, aut ratione subiecta.

Vel locupletant eandem sententiam uerborum copia, aut distributione totius in partes, generis in formas.

Aut aliquando propono topothesiam, aut Chronographiam, aut subiectionem, aut sermocinationem.

Quoniam uerò Orationem facundam, non elingue querimus, damus operam; ut uocabula teneant

Herbarum,

Florum,

Avium,

Arborum,

Piscium,

Odorum,

Quadruped.

Liquorum.

Vermium,

Saporum,

Armorum,

Vasorum,

Gemmarum,

Vestium,

Ponderum,

Mensurarum.

Partium corporis humani, Domus, Naulis, Mensis, Diei, Noctis.

Iubeo nonnunquam ut ex duabus, aut tribus Ciceronis epistolis, Dialogum conficiant ubi Atticus Cicero, & Terentia colloquuntur, seruantes &  $\eta\pi\epsilon\pi\omega\sigma$  loquentis.

Nuper cū interpretarer  
Phil. M. Antonij  
tonij barbulo  
capite Fulvii  
& Iulij mēla  
quētes de p̄xi  
& audito, mei  
dialogi cōseri  
pferunt.

Ut

Ut Orthographiam exerceant semel in hebdomade iubeo; ut quispiam parieti epistolam figat, ubi omnes possint eam liberè reprehendere, appositis asteriscis ubi uel Orthographia non placet, uel Romani sermonis cādor obscuratur. hoc fit tacitè, reiectis omnino clamoribus. At hora secunda pomeridiana autor epistolæ breui præfatione gratias agit illis qui emendauerint errata; & summo studio quæ sunt ambigua defendit. Fit autem hoc die Iouis.

Iuuat quoq; & illud, quòd propositis præmiolis, aut pænis, uelut ex lege prouocantur; ut ipsi quoq; inter sese alius alium emendent. Die igitur Veneris à prandio unusquisq; præbet suam conuersionē aduersario, & die Sabbati mutuò aut laudant, aut utuperant quæ legerunt, si non respondent Hispanicæ thesi à me propositæ.

Porrò in omni compositione, disputatione, declamatione, & alijs; eruditiores aliquot deligo, qui cōtrouersiam finiant, & apertè ostendant, quem palma dignū arbitrentur.

Varietatis gratia, propono ut intra dies. 4. recōditam fabulam explicent: ut quisnam fuerit Demogorgon, quinā in Melampygam inciderint. Hoc eruditioribus præcipio; & intereā à quotidiana compositione liberantur ne oneri subcumbant.

Aliquando alijs sedentibus stant tres; & mecum Latinè de uarijs rebus loquuntur; loquens illos aliquoties collaudo, si quid dictum est aptius; aut emendo cum errant. Tandem qui diutius mecum non hæsitans in colloquio perseverat, præmiolo donatur.

Nonnunquam ut possint imitari Chrysiſippum, qui toties meditando, admirando, transcribendo Euripidis Medeam fecit suam: iubeo ut Virgilium in signem excitandi affectus artificem crebrò euoluât, & illius Aeneidem suam faciant, perpendentes hoc attentè, cum semper sit ille sublimi spiritu, & generosa Oratione, nusquam tamen est sui similis. In secundo Creusa eripitur, ut inter Deas sit. In tertio vulgari morte perijt Anchises. In quarto seipsam Dido interficit. In quinto Palinurus in mare deturbatur. In sexto Marcello tanquam mortuo canit Epicedium. In septimo est eorum catalogus qui ad interitum eunt. In octauo ad clypei picturam enumerat multas mortes, Cleopatræ exitium, & gentes uictas. In nono Troianorum strages in suis castris. In decimo Mezentius ab Aenea interficitur. In. 11. delètur Volſcorum acies, Camille mors apponitur. In duodecimo Turnus ab Aenea interficitur. Hosce igitur exitus tragicos attentè legere iubeo, mox paraphrasi illustrare.

Vt uerò ipsi consueſcant circumſpectius, & accuratiùs loqui, & me prælegentem attentius obseruent; efficio, ut aliquis suggestum conscendat, & ibi semel in mense, aut Terentij fragmentum, aut Ciceronis epistolam faciliorem, aut caput aliquod de Syntaxi uel Profodia interpretetur.

Quoniam uerò multi sunt, qui in schola egregiè loquuntur, at apud opifices obmutescunt; iubeo, ut interdum Hispanico sermone narrationè, aut exordium conficiant, & hisce assueſcant.

Non raro ex tempore componunt. Themata uero, seu ut uult Cicero, proposita, cauemus ne sensus sint inepto, aut sermone insulso; sed habeant argutā aliquam, aut uenustam sententiam, aut historiam memorabilem, aut rei cuiuspiam insignem naturam. ut:

Præcipitata consilia parū feliciter euenire so-  
lere, declarat Marcellus; cuius præcepta calor rem  
Romanam subuertit, Fabij prudens cunctatio re-  
stituit.

Difficile iudicatu sit, uter altero fuerit stultior;  
Crates, qui aurum abiecit in mare; an Midas, qui  
aurum omnibus rebus anteposuit.

Magnes ad sese ferrum attrahit, naphtha ignē.

Mirum polypij ingenium, qui ad speciem subiectā  
soli mutat colorem. quò fallat insidias piscatoris.

Aut habeant figuram eximiam, ut hæc gradatio;  
Diuitiæ luxum pariunt; luxus saturitatem; sa-  
turitas ferociam; ferocitas odium multorum; odium  
perniciem.

Aut commutationē. ut; Non ideò te talem iudi-  
co, quòd uehementer amem. sed ideo uehementer a-  
mo, quòd talem iudicarem.

Aut distributionem; ut stultior est, quàm ut pos-  
sit tacere; infantior, quàm ut possit loqui. Item sim-  
plicior est, quàm qui possit mentiri. grauior, quàm  
ut uelit.

Extimulamus aliquando dicentium animos, com-  
paratione profectus, ueluti emulatione quadam in-  
ter ipsos excitata.

Si qui sunt paulò hebetiores, leui aliqua prouin-  
cia exercentur. ut; Heus tu cras ostendes nobis Hi-  
spanicè quæ erant Comitia censurata; tu quæ fue-  
rit Corona ciuica; ille cur Patres conscripti, & Pa-  
tritiij de sententia Caroli Sigonij appeudentur.

Si quid noui in urbe, aut uniuersa prouincia eue-  
nerit, antequam rei ueritas multorum epistolis elu-  
cescat; efficio, ut aliquis confutet per locos Aphro-  
nij à reprehensione auctoris, ab obscuro, incredibi-  
li, &c.

Extremo die mensis cuiusq; sedet unus, & omnes  
ab eo exquirunt, ut rationem reddat, eorum quæ per  
integrum mensem fuerint à magistro prælecta. Hic  
exquirit; Explica quæ fuerint obseruata de ratione  
exordiendi; ille quærit loci alicuius Cesariani expo-  
sitionem; mox alius artificium Orationis Tullia-  
næ. &c.

Semel in mense, reiectis prælectionibus, consumo  
totas horas pomeridianas in praxi, qua uniuersæ  
Grammaticæ flosculi meis Oratoribus in mentem  
reuocantur; ne ignauia, aut obliuione, rei tam ne-  
cessariæ cognitio neglecta pereat; & aliquando  
præteritum, aut supinum contra canones Gramma-  
ticos usurpatum, meorum discipulorum emendatâ  
phrasim obscuret.

Eruditioribus iubeo ut copiosè nobis aliquando  
explicent argumenta eorum quæ narrat Luius pri-  
mo libro, aut quæ Iustinus, aut ut ex Sætonio reci-  
tent Vespasiani, aut Galba uitam, aut ex Plutar-  
cho Thesei, aut Alcibiadis.



Experimento cognoui utilem esse censuram auctorum; ideò efficio nonnunquam, ut caput aliquod Ciceronis de officijs reprehendant, aut paradoxa ipsius, uel defendant.

Nuper cum explicarem 14. Philippicam; cum ait Cicero se dolore iniuriæ fieri gloriosum, præscripsit discipulis meis, quæ erant necessaria ad Ciceronem defendendum. Et anno. 1566. mense Octobri, cum interpretarer Milonianam, effeci ut quidam Syluium reprehenderent, alij defenderet quod dixisset ad dissimulandam elegantiam; ut particulam in eadem Periodo geminari.

Ne credas Lector hæc esse auditoribus difficilia; semper enim me præeuntem sequuntur, et præmansum cibum in puerorum ora nutricum exemplo insero. In primis ostendo quot propositionibus aliquod argumentum tractari possit. 2. deinde earum ordinem. 3. et quo pacto alia ex alia pendeat. 4. mox quot rationibus unaquæq; propositio fulciri debeat. 5. quot confirmationibus unaquæq; ratio. 6. eum circumstantias ac locos unde peti possint. 7. deinde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationibus, sententijs, prouerbijs, fabulis, apologis unaquæq; pars locupletari queat. 8. Aperio et schemata quæ addi possint, ut alacrior, amplior, dilucidior, iucundior fiat Oratio. 9. Si quid erit amplificandum, rationem demonstro; siue per locos communes, siue per eas rationes quas in quatuor formas distribuit Quintilianus. 10. Quòd si qui inciderint affectus, hi quoq; quo pacto tractandi sint, admonemus.

11. Quin & connectendi rationem præscribimus, quis sit optimus transitus ab exordio ad narrationem, à narratione ad diuisionem, à diuisione ad argumentationem, à propositione ad propositionem, à ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut perorationem. 12. Ostendo & formulata aliquot, quibus ibi possint commodè exordiri, aut etiam perorare. 13. postremò locos aliquot in autoribus indico, unde ualeant aliquid ad imitandum sumere, propter rerum affinitatē. 14. Vbi hoc septies, aut octies fecimus, iam incipiunt sine corlice nare, & nudum thema ministramus.


Orauit in Pisonem Cicero, multaq; grauitè, & acerbè in eo reprehendit; quomodo sit ad honores publicos euectus, quomodo sit in his uersatus. In huius igitur Orationis artificio Dialectico declarando, causas, facta, circumstantias, adiuncta, cõtraria, cæteraq; argumentorum genera subducimus; enunciationes, conclusiones, & syllogismos distinguimus, ordinem uniuersum notamus. Exemplum similis argumenti discipulis nostris ponimus: quod ille speciatim tractauit, generatim disputamus; & quætionem ab hypothesi ad thesim reuocamus.

In Pisonem Cicero dixit: Nos in tyrannū & perniciosum Reip. Magistratum dicimus, & persequendis exempli tanti uestigijs, simile Ciceronis aliquid effingimus.

Orauit pro Milone Cicero: totius defensionis argumenta ad inuentionis locum referimus: pronuntiatorum species recognoscimus, syllogismos & ar-

gumentationes ad figuram, formamq; redigimus, ordinem perpetuum cōtuemur. Similis quæstionis thema proponimus: quod pro Milone contra Clodium dixit; Nos pro forti & constanti principe contra sceleratum sicarium & latronem similibus argumētis, similibus syllogismis, simili ordine, simili deniq; inuentione & dispositione differuimus: deniq; Demosthenis, Homeri, Virgilij, Platonis, Aristotelis Dialecticum & ex argumento consilium, & ex syllogismo iudicium, & ex ordine uniuersæ collocationis complexum interpretando, meditando, scribendo, declamando perpēdimus, imitamur; nec assequi tantum, sed alicubi uincere, ac superare contendimus.

FINIS.



Pag. 3. line 4. 7. studiosissime. 4. line 4. 11. dele tuam.  
 6. 7. Cocentayna. ibidem. 18. uidebis. 10. lin. 7. 4.  
 mandassent. 11. 7. cordi. ibid. 27. prope.

¶ Ego Ioachimus Molina Theo-  
logiæ professor in Academia Valē-  
tina, huius libri additiones manu-  
scriptas legi: nam quod excussum  
erat, probatum antea à grauis-  
simis viris fuerat. Affirmoq; nil me in eis  
inuenisse, quod pias aures offen-  
dat.

*Ioachimus Molina:*






Tertia & vlti-  
MA PARS RHE-  
TORICAE LAURENTII PAL-  
myreni, in qua de memo-  
ria & actione  
disputatur.

*Ad*

*Illustrissimum dominum D. Petrum  
Volscium serenissimi Regis Poloniae  
Legatum dignissimum in  
Hispania.*



**VALENTIAE,**  
Ex typographia Ioannis Mey.  
1566.



*QUÆ IN HOC LI-  
bello continentur.*

De Memoria.

De Actione, seu Pronuntiatione.

Sylua Rhetorū Apophthegmata  
complectens.

Declamatio, Iudex oppressus.

Declamationes duæ aduersariæ.

Fragmenta ex Comœdijs Palmy-  
reni, quæ adolescentibus ad exer-  
citationem Elocutionis & inuen-  
tionis, non mediocre adiumentū  
prebere possunt.

Oratio, qua conatur probare libro-  
rum multitudinem studioso no-  
xiam non esse.



Amplissimo &

ILLVSTRISSIMO

VIRO D. D. PETRO VOLSCIO

Serenissimi Regis Poloniae Lega-

to in Hispania, &c. Laur. Pal-

myrenus. S. P. D.



*Nicum gigan-*  
*tem in Lybia ab*  
*Hercule saepe vi-*  
*ctum accepimus,*  
*vir amplissime,*  
*nunquam tamen*  
*luctari, aut con-*

*gredi maiori cum infamia solitum, aut*  
*incertiori luctatione, quam cum in al-*  
*tum elatus, procul a terra membra sua*  
*dimovebat: tunc enim imbecillitas vi-*

*A h*





4  
 rium, & infirmitas laterū vera atq;  
 insigni turpitudine notata, atq; op-  
 pressa dedecore & infamia cerneban-  
 tur. O præclaram emendatricem vi-  
 tæ Poeticam? quandoquidē ipsius au-  
 xilio mores nostrī componuntur, &  
 quid fugiendum sit, magna suavita-  
 te nos docent fabulæ, quæ verbis Poë-  
 tarum, sententijs, lepore, numeris, sale,  
 cantibus adiuvantur. Profectò si, ut  
 inquit ille, in impias fabulas inclusa  
 est Physica ratio non inelegans: si nos  
 delectat explicatio fabularum, & e-  
 nodatio nominum, non sine causa fi-  
 etam à doctissimis fabulam agnosce-  
 mus. Antæus enim humanitate &  
 modestia affectus suos comprimens,  
 humi repit, terram matrem suam at-  
 tingit, inde alacer & fiducia plenus,

omnia & ferre, & perpeti paratus  
 est: dūmodo honestè viuere possit, &  
 frui rebus ijs, quas primas homini na-  
 tura conciliat. At vbi contumaciter  
 & arroganter, aliquid supra vires  
 aggreditur, tum demū Hercules, hoc  
 est, splendoris & gloriæ cupiditas, al-  
 iè sublatus terra contactu prohibet,  
 pectoriq; suo arctiūs astrictū enecat.  
 Tantos enim sibi spiritus, tātam ar-  
 rogantiam sumit, ut ferendus minimè  
 videatur. Quem quæso, vir amplissi-  
 me, Antæum nostra tulit ætas, nisi  
 tuum Palmyrenum? qui ienuiculo ap-  
 paratu contentus, melius nihil exqui-  
 rebam: agnoscens verissimè illam à ve-  
 teribus prolata esse sententiam in hūc  
 modum: Contentum suis rebus esse, ma-  
 ximæ sunt certissimæq; diuitiæ. Erā

## EPISTOLA:

gratus ac iucundus omnibus, nullus  
 me liuor, nulla torquebat inuidia. ni-  
 mirum paruis utriusq; linguae late-  
 bris contentus, meam tenuitatem am-  
 plectebar. At ubi incensus, aut potius  
 elatus studio, & cupiditate tractan-  
 di res Oratorias, duos illos de arte di-  
 cendi libros emisi, proh dolor? tanquam  
 Antæus aduersariorum telis confos-  
 sus interire funditus cogor. Sed ut vi-  
 deo, ingrediētib; considerandū fuit  
 quid ageremus: nunc quidē iam quo-  
 cumq; feremur, danda nimirum vela  
 sunt: & deberi non potest hæc tertia  
 Rhetoricæ pars nostris auditoribus:  
 remedium igitur quæramus nostræ  
 huic egrotæ ac propè desperatæ fortu-  
 næ. difficile enim erit in rebus tam ad-  
 uersis, sine ullo remedio, aut alluamē-  
 to permanere. Unū verò his tot incō-

modis esse remediū arbitramur, si mei  
 aduersarij te dignitatis nostræ non  
 modo fauorē, sed etiam amplificatorē  
 cognoscant. Age igitur vir amplissi-  
 me, quæ soles benignitate cliētulū tuū  
 defendendū ac tuendū suscipe. tu sem-  
 per benignus hospes studiosis fuisti, &  
 ad eos excipiēdos tuarū ædiū fores die  
 noctuq; bipatentes semper ac parata  
 cernūtur. Si quis enim vel aliquo fa-  
 milia titulo, vel virtutis elogio, vel ar-  
 tis cōmēdatione, aut deniq; calamito-  
 sa obrutus egestate, vel quacūq; fortu-  
 na vexatus iniuria ad te cōfugiat, i-  
 bi & dignā nobilitate sedē, & virtu-  
 ti suæ idoneū perfugiū, calamitati re-  
 medium præsens inuenire consuevit.  
 Testis locupletissimus est Frācisus  
 ille Luysinus Italia totius ornāmētū,

testis Matthias Arpinus Medicolae  
 nius eques Polonus Medicus nūquā sa  
 tis laudatus, testis etiam Petrus Ruy  
 zius de Moros civis meus Iuricon  
 sultus clarissimus: hi enim pleniore vo  
 ce se fortunatissimos vocant, quod Pe  
 trum Volscium Mæcenatem conse  
 quantur. Multi nobiles se studiosorū  
 defensores præbuerunt, multi posthac  
 eorum patrocinium suscipiunt, multi  
 se acerrimos eorundem patronos pro  
 fitebuntur: sed qui tecum hac in re  
 æquari conferriq̄ posset, inuentus est  
 nemo. Alij Mæcenates ciues tantūm  
 suos fouent, tu non solūm tuos Sarma  
 tas, sed Italos, Gallos, & Hispanos  
 amplecteris. Testis sum ipse homun  
 cio, quem tam amicè, tam humaniter,  
 & amanter non solūm tuo colloquio,  
 sed etiam conuiuio dignum iudicauit.

ris. O Deum immortalem? nihil unquam honorificentius nobis accidit, quam cum visente Philippo rege suam Valentiam, nos tua liberalitate & favore sumus ornati. Haerent, haerent in animo quae tu discedens nobis indignis tam munificè & tam largè praebuisti. At dices, si haec vera sunt, cur tam ingrato animo res meas prosequeris? cur me epistolis, aut raro, aut potius nunquam salutas? Dicam aperitè, semper abhorruì ingenium meum ab ista officiosorum hominum concursatione limina optimatum quotidiana salutationibus terentium, quòd eae sint animi mei angustiae, ut tantae amplitudinis conspectum non capiant: & velut infirmi oculi Solis splendorem refugiunt, ita quoque tua claritate

A V acies

acies nostra præstringitur. Et cum tunc  
 in hac nostra Valentina vrbe, tuæ illi  
 accubationi epulari doctorum, me con-  
 uivã adesse voluisti, ego fermè inuitus  
 accessi, nimirum quòd me iam diu de  
 turba, & à subsellijs in otium solitudi-  
 nemq̃ contulerim, & nobiliũ ædes, ac  
 colloquia dysopia vrgẽce perhorrescã.  
 Sed quodãmodo istã pœnam vltro no-  
 bis dum consciscimus, ne viros nobiles  
 sæpè videamus, officij raritate decus  
 vestrum, & splendorẽ commẽdamus,  
 & efficiamus, ne passim ad vilitatem  
 vulgeur. Nilor enim purpure, si sæ-  
 pe gesteur, obsolescit: & Medorũ Re-  
 ges ad maiestatis suæ accessionem, ad-  
 uenientes frequenter excludebãt. Nec  
 ignoras profectò, te religiosius ab illis  
 adiri, qui te rarò visunt, quã qui quo-  
 tidie

tidie togati atria tua calcare non ces-  
sant. Quare boni consulas oportet no-  
strum pudorem, & quoniam conuenit  
in dando munificū esse, in exigēdo nō  
acerbū, ne quaeso acerbè munus hoc exi-  
gas, ne officij prætermiſsi reprehensio  
vlla à te in nostram ignaviā conuertā-  
tur, quin potiùs tolerāter & humanè  
ferens meum rusticānū pudorem, au-  
xiliū prebe. Nā si à molestissimis hi-  
ſce occupationibus me semel relaxaro,  
ostendā profectò quantū tuæ liberali-  
tati & humanitati debeamus. In no-  
stris verò aduersarijs non ad eò faci-  
les & creduli erimus, ut quæ sint à  
quibuslibet Scriptoribus memoria  
prodita, literisque mandata, ea vel  
tanquam ex Apollinis oraculo edita,  
vera esse iudicemus: vel tanquam ab  
Archime



*Archimede descripta pro certis habeamus. Horum autem rationes insanas ac furiosas, neque difficile est nobis refutare, neque necesse: quippe cum ab ipsa veritatis voce, vel tacetibus nobis, refelluntur. Sed verba cuiusdam scriptoris audiamus: Quorundam ferè semper arrogantiam mirari soleo, tunc eorum maximè stultitiam, ac penè dicam insaniam, satis miserari, ac deplorare non possum, qui hodie Grammaticas artes, Rhetoricas, Dialecticas, magno supercilio adolecentibus venditant atque ostentant. Nam vetea ipsa dicunt, quæ sunt iam à veteribus occupata, vel alia: si eadem, actum agunt: si alia, nugas adferunt, & temeritatem suam patefaciunt, indicant, ac produnt. Cum enim afferre meliora*

non possint, reliquum est, ut suis sectatoribus deteriora, atq; improbanda pro optimis & probatissimis obtudant. Hac isti iactant horrida vetustatis amatores: quasi ingenium desit recentioribus. Ego sanè & meliora posse adferri credo, quàm sunt à veteribus allata: & eadem commodius tractari, quàm sunt ab illis explicata. Sed quoniam hoc argumentum aliàs sumus aggressi, Sophistas hosce prætermittemus, qui nihil novum probant, ne nihil, ut ait Boëtius, in senectutem usq; didicisse videantur. Solum Nonium Marcellum, solum Flavium Sospitrum, solos lapides capitolinos admirantur. Isti verò hoc faciunt idèo, ut ne quod eis deest, adsit nobis: & reverà nobis tã non abest, quod eis adest,

In fine libri de elocutione pag. 26. b. linea, 16.

quàm

quàm adest, quod non adest illis, & da-  
mus operam, ut dum illi in aula otiosi  
& nihil agentes etatē transmittunt,  
aut inhiāt auro, aut captāt opima sti-  
pendia, aut mensarum aſſecta de bello-  
rum summa diſpuant inter patinas:  
nos non illorum voluptates contēpsiſ-  
ſe, sed studiorum nostrorum nobilita-  
tem commonſtraſſe videamur. Te er-  
go vir ampliſſime, ut nobis faueas, ad-  
iutorq̄ ſis, vehementer rogo, quando-  
quidem potes, nec minùs vult. Volun-  
tatem declarasti, quando me ad opus  
absoluendum excitabas: potentiam  
ex eo colligo, quòd te duo potentiſſimi  
Reges, nempe Hispania, & Polonia,  
in oculis ferunt, tibi arcana communi-  
cant, tuis in conſilijs, ſi quid delibe-

randum est, multum, si quid perficiendum, in vigilantia plurimum ponunt: Quemadmodum autem a- uiculae, quae volatu aëreo sublimè feruntur, & aquilam repentinam & inopinatam, insectantem alias aues, & agitantem perspiciunt: protinùs pergentes, quid retrò fiat, non laborant: sed turres altas, excelsa loca, arcem aliquam exquirunt, ubi septa ac munita, hostiles ungues & pennas effugiant: sic tuus hic Antæus, quid aduersarij parent, securus negligit: modò favoris sui asylum, ut sic dicam, & arcem consequatur. Ignosce mihi, si coram te de memoria, & actione verba facio: qui hisce duabus eloquentiae parti-

paribus ita instructus es, ut omnes  
 te verissimum Sebastiani Corradi,  
 & Romuli Amasei discipulū agno-  
 scant. Pendebam sanè ab ore narra-  
 tis, cum mihi Pauli Manuij, Fran-  
 cisci Luysini, aut Caroli Sigonij lau-  
 des Gracè & Latinè recitabas. tan-  
 ta memoria, tam suavi & decora a-  
 ctione id agebas: ut non te narrantē,  
 sed illos in Hispania perorantes vide-  
 rer audire. Deus te integrum, &  
 incolumem Cracoviam tuam, & uni-  
 versam Sarmatiam rebus in Hispa-  
 nia feliciter compositis, reuisere patia-  
 sur. Vale, Valentia mense Apri-  
 li. 1566.



# Rhetoricę Lau

RENT. PALMYRENI

PARS TERTIA ET

ULTIMA.

*De dignitate, utilitate, definitione,  
& subiecto Memoriae.*

*Cap. I.*



**M**EMORIAM ultimam Oratoris facultatis partem esse, nonnulli falso crediderunt: alij quartam uocant: at ni prorsus hallucitor, aut omnibus disciplinis, aut saltem iurisprudentię sine ulla dubitatione tribuetur. Nos, ne auditores nostri à nobis neglectam esse cõquerantur, eam breuissimè persequemur. Dicebāt ueteres, nos illa tantum scire, quę memoria teneremus: alij disciplinarũ thesaurum, nonnulli disciplinę cellam penuariam, aut Musarum matrem eam appellarunt. neque id immeritò, nam utilis est ad disciplinas omnes ediscendas, ad re familiarem augendam, ad tractanda negotia, ad gubernandam Rempub. & uitam probè componendã: exempla enim ad futurorum consultationem præbet

rerum gestarum memoria. Aperuerunt nobis digni-  
 tatem & utilitatem huius rei ueteres illi, qui memo-  
 ria claruerunt: Cyneas, Themistocles Myihrdates,  
 Seneca, Aesdras, & Cyrus: deinde qui infelici memo-  
 ria suas res gestas obscurissimas reddiderunt: Messe-  
 la, Trapezuntius, Maco, & Thraces, qui ultra qua-  
 ternarium numerum ob infelicem memoriam, nun-  
 quam progredi ulla numerandi ratione potuerunt:  
 Sed hæc referre copiosius non est huius instituti: lege  
 si uoles, caput primum libri terij uariarum lectio-  
 num M. Antonij Muræti, nos ad rem, quam interpre-  
 tãdam suscepimus, accedamus. Memoria est habitus,  
 seu affectio opinionis, aut sensus, cum tempus accessse-  
 rit. Hinc sola animantia, quæ sensum habent tempo-  
 ris, memoria prædita sunt, atq; ea ex parte qua cum  
 sensum habent. Memoria ergo anime potentia, seu fa-  
 cultas subiectum habere res futuras non potest. Quis  
 enim dicet se in memoria habere futuras nuptias, aut  
 conuiuium: potest quidem rerum futurarum scientia  
 haberi: ut si quis diuinatione cognoscat quæ futura  
 sunt, si quis ex aquarum defectu penuriam annonæ fu-  
 turam intelligat, & ex uentis tranquillitatem maris.  
 At illarum rerum futurarum opinio, aut scientia, nõ  
 memoria dicitur. Deinde rerum præsentium non est  
 memoria, sed sensus: nam si quis in conuiuium unum  
 Creticum, aut Rhenense gustans, dicat, hoc unum nõ  
 memoria habeo, absurde dicet. Est ergo præterito-  
 rum memoria: ideo cum aliquis dicit, se in memoria  
 habere

Definitio

Subiectum

Habere, sæpe numero addit, audiuisse, uidisse, gustasse. In qua autem animi parte fiat, per multi dubitant. Si in intellectu dicas, absurdum erit: ostendes enim in solo homine reperiri, at multa animalia recordantur, & reuertuntur ad priora loca, & quærendum cibum, quare non est earum partium, quæ sunt mentis & rationis. dicemus igitur esse eiusdem partis, cuius sit & uisio. De organo uero, seu instrumento, hæc obseruauerunt recentiores. Memoria non distinguitur à sensu communi, qui ab Aristot. primum sensitiuum dicitur. Ait enim: Memoria est primi sensitiui, quod si sic est, idem habet organum cum sensu communi. Huic autem obiectioni sic alij satisfaciunt. Munus sensus communis est, recipere notiones transmissas à sensibus exterioribus, munus Memoriae est, conseruare, sicut τῆς φαντασίας (Cicero uisum appellat) sed diuersa ratione. At quoniam eadem facultas bene simul recipere, & cōseruare, uix potest. Nam ut bene recipiat, oportet ut sit molle: ut seruet, ut sit durum, apparet facile non esse idem: nam sensus communis molle organum, memoria durum efflagitat. Operosum esset nunc persequi, quo discrimine ab alijs sensibus memoria distinguatur. Sat erit hoc obseruasse: quemadmodum sensus communis habet thesaurum suum in φαντασία, sic ea, quæ uulgo existimatiua dicitur, in memoria. Affixa est autem memoria postremæ parti cerebri: desiderat enim temperatam siccitatē, & duritiem, qualis in eo loco reperitur; Ita fit ut occiput uulnus acci-

*In qua parte animi.*

*Quo nam modo ab alijs sensibus distinguatur.*

*In qua parte cerebri.*



piens, memoriae ruinam afferat, & Physiognomi inde suum illud axioma deducant. Qui bonum occiput habet, & quasi tumorem quendam magnum in eo, is felicem memoriam consequitur. Sed iam de uarietate memoriae in hominibus differamus. 1 Qui celeriter apprehendunt, plerumq; non admodum ualēt memoria, quoniam in eorum cerebro nimius est humor. 2 Tardi autem diutiùs recordantur, nam tarditas illa argumentum est siccitatis. 3 Qui uerò nimium hebetes sunt, cerebro durissimo praediti sunt: nihil enim in illo imprimi potest, quod annuli in cera, aut silice similitudine declarant Philosophi. 4 Obliuiosi etiam sunt admodum pueri, uel admodum senes: motu enim agitantur illi propter incrementum, hi propter decessionem: in his enim perinde est, atq; si in aquam profluentem annulus imprimatur. 5 Tandem qui in magno motu, uel propter animi perturbationes, uel propter aetatem uersantur, non multum ualēt memoria. In multis qui difficulter ediscunt, diuturnū est quod didicerunt: propterea quòd quicquid labore multo comparatur, ferè stabile est. 6 Quae senes in pueritia bene composito cerebro acceperunt, ea seruant in longa tempora. Ceterum, quod nos incremento puerorum, & decessioni senum tribuimus, multi Philosophi nimiae humiditati puerili, & siccitati ac frigori senili tribuunt. Iam quòd diuturna memoria in multis utamur, in alijs uerò infelici, bifariam fit. Primum, unica uehementi impressione, cum notio

ipsa multo uehementiq; spiritu à phantasia in memoriam defertur, illiq; ab ipsa commendatur, non secus atq; homines rem, quam nequaquam perditam uel lent, custodibus magna attentione commendant. Huiusmodi sunt ea, de quibus ultionem postea meditari uolumus. Sic canes, eos à quibus uerberibus affecti sunt, memoriæ commendant. Sic Virgilius: Manet alta mente repostum, &c. Sic beneficium grati homines memoriæ diuturnæ commendant. Deinde fit etiã aliquid in memoria diuturnum, non uehementi impressione, sed assidua & frequenti repetitione: ut solent, qui prælectiones suorum Doctorum memoriæ commendant. Ex his autem constat cur quædam citò obliuioni commendemus: inquit enim Aristoteles, crebras imaginum repetitiones memoriã cõfirmare. Cum ergo aliquid memoriæ commẽdatur, atq; id fit leui impressione, aut repetitione, statim euanescit, & Philosophi omnes hoc passim affirmant: cogitatio & meditatio memoriã conseruant. facile autem eorũ recordamur, quæ sæpe cogitamus. Cæterum recordatio, quæ aliter reminiscencia dicitur, in nullo alio animantium quæ nota sint, nisi in homine, reperitur: propterea quòd recordatio ratiocinatio quædam est, qua plus ualent dociles, & celeritate ingenij præditi. Commemorationis & memoriæ discriminẽ hoc est: illa fit uerbis, hæc cogitatione. Meminisse & memorari quid distent, ex illo Virgilij uersu Aeneid. 7. intelligi potest: Et meministis, enim. Diua, & memora

re potestis. Quod Cicero dicit, ex memoria exponere, id est, memoriter exponere, tertia Catilinaria, formula dicendi contraria est ei, quæ dicit, recitare ex scripto, & descripto: de quibus alias: nunc ad memorie distributionem, aut diuisionem explicandam accedamus.

*Memorie distributio, & eiusdem cõ-  
seruanda præcepta, ex varijs au-  
toribus. Cap. II.*

**M**emoria duplex est, rerum altera, altera uerborum: illa in pueris maior, hæc in iuuenibus. Iuuatur perpetua recitatione, facilitateq; dicendi, ut intelligas re Æe quæ profers. Nam facilius decem Virgilij carmina puer ediscet, quàm Davidis Hebrææ duo, si eam linguam penitus ignoret: quæ enim non intelligimus, difficulter memorie commendamus. Rerum memoriam ordo plurimum adiuuat, hic à contemplatione proficiscitur, utramq; auget exercitatio, uictus salubris, somnus prolixus, cerebri custodia, curarum fuga. Cauendum etiam, ne cerebrum concutiat, ne homo magnam edat uocem: ideò concionatoribus qui uociferantur, aut corrumpitur memoria, aut uitiatur mens. Quod autem diximus de somno, sic intellige: exiguus somnus non potest purgare caput

put redūdanti humiditate, ideo qui parūm dormiūt, obtusi apparent. Fugiendi etiam cibi crassiores, aut flatum gignentes, ut caseus, lac, olera, legumina, uinū purum putum: uitandum frigus, & seua hieme fouendum occipit oleo Castorei, frigus enim durum cerebrum reddit, & difficulter imprimi, quæ uolumus, patitur. At si repente in homine memoria cæteris partibus incolumibus, amittatur, præfagium est futuræ apoplexiæ, paralysos, aut epilepsie. Amittitur nonnunquam memoria, uel ob lethargum, uel pestilentiam, ut refert Thucydides lib. 2. belli Peloponesiaci, quosdam pestilentia corruptos, omnium quæ antea nouerant, oblitos fuisse, ita ut non solum suos familiares non agnoscerent, sed ne seipsos quidem. Inter alia uerò memoriæ præsidia est corporis sanitas, mens sedata, somnus corpore non in dorsum, sed in iatus dextrū exporrecto, animus tranquillus, à curis, crapula & luxuria liber, assidua legendi ac dicendi exercitatio, adhibito ordine, ratione, ac modo, exclusa tumultuaria ac confusa lectio. Cœnandum parcius, inter somnum & cœnam sesquihoræ interuallum intercedat, diluculo exporrectus linguam defricare pergat, caput eburneo pectine demulceat, interdum etiam barbara rafa memoriam emendat, quotiescunq; enim tonsoris opera partes illas permulcemus, uenustiores & hilariiores efficimur, omnesq; sensus paulò ante sopiti, cum ipsis spiritibus entescunt. Oportet etiam os, fauces, palatum subinde colluere, dentes defricare,

Barbararafa  
memoriam  
emendat.

nares emungere, aures à sordibus expurgare, pectus  
tussi, sreatu, sternutamento, popysmate dilatare. Paras  
res etiam infernas, uentriculum, lienem, iecur, intesti  
na, aluum, uesicam, suis excrementis exonerare.

Si frigida qualitas memoriam infestat, illam hisce  
poteris expugnare, quæ cerebro robur conciliant,  
ut nux myristica, quæ non sit cariota, rosmarini flos,  
amaracus, melissophyllos, pæoniæ radix, saturia, ra  
phanus, zedoaria, gariophilli, macer, zinziber uiris  
de melle conditum, mirabolani in melle asseruati, aco  
rus, carpesium, cassia, ac cynamomum. Horum plerumq;  
aut in syrupos, uel serapia, uel pulueres, aut condimen  
ta reducentur, quibus pituitosi utantur.

Si memoria siccitate cerebri peruertitur, ut in sen  
niculis aridis & exhaustis: curabis, ut corpus suauiter  
alimentorum rore madescat, & perfundatur. Confe  
runt autem cortices citri, hoc est, mali medici condi  
ti, glycyrrhiza, nymphæa, buglossa, uuæ passa, exem  
ptis uinaceis, & quæ moderatè calfaciunt & hume  
stant, ut mel, saccarum, uinum subduice, butyrum, ouis  
recentia, nuelei pinei, amygdalæ dulces, non uetustæ,  
pistatia, castanæ molliùs tostæ, auellane, rapa ac na  
pi cocti, cerebella perdicum. Vtile est interdum pec  
des abluere decocto foliorum lauri, rosmarini, aut fen  
niculi: auertit enim à capite uapores, & fuliginem,  
quæ mentem offuscant. Caput autem lotionibus fatiga  
re noxium esse iudico, quoniam reddit craneum im  
becille. Peracta coena, profunt coriãdri grana prius  
macerata

macerata aceto, in quo samsuchus decoctus sit, mox saccaro tenuiter obducta, aut diacydonium, aut grana aliquot mastichis deglutire. Utiliter etiam naribus admouentur lignum aloes, ambra, nigella, rose rubentes, zibetum. In deplorata memoria comedere pauxillum confectionis anacardinae, aut ipsa lingua defricabis. Cervices uero inunge oleo euphorbij, costi, nigellae, & castorei, omnia superat agallochum suffitum, uel naribus admotum. Tantum enim potest in cerebro ac sensibus excitandis, ut gallus gallinae ceus continenter & indefesse cantillet, si uertex ipsius agallochi puluere gariophilis, osse de corde cerui, oleo nigellae illinatur.

RATIO AC METHODVS EX-  
colendi memoriam, quam suis auditoribus praescripsit Palmyrenus.

**N**ON patiar ut celeriter quod memoria manda-  
uerunt, recitent, sed uolo tanquam declama-  
rent, apte distincteque recitare, uultum praepceptoris  
intueri, toto corpore decenter composito consistere,  
praepceptorem quoque non oscitanter audire, os emen-  
dare, gestus atque ipsius corporis habitum moderari,  
singula circumspicere, sic & quae recitabunt tenacius  
haerebunt, & ipsi compositiores fient: nec si quando  
in foro loquentes interpellentur, aut a graui aliquo  
uiro paulo intentius aspiciantur, perturbabuntur,  
aut stupebunt attoniti. Nam celeriter recitata statim  
discedunt a memoria.

## De memoria artificiosa

## Cap. III.

**C**um igitur duplicem esse memoriam agnosca-  
mus, satisq; de illa quæ à natura petenda est, di-  
xerimus: par erit ut de altera, quæ inductione quadã  
& ratione præceptionis confirmanda est, pauca dis-  
camus. Constat autem ex locis & imaginibus.

Loci breuiter, perfectè, insignitè, aut natura, aut  
manu absoluti sunt, ut eos facile naturali memoriæ  
complectamur. ut

ædes,	fornix,	prata,
intercolumnium,	fenestra,	flumina,
angulus,	montes,	& similia.

Oportet igitur si uolumus multa meminisse, mul-  
tos nobis locos comparare, ut in multis locis multas  
imagines collocare possimus: & dabimus operam ut  
ex ordine hos locos habeamus, ut perpetuò memoriæ  
nostræ herere possint. Cæterum quoniam in celebri  
regione frequentia & obambulatio hominum con-  
turbat & infirmitat imaginum notas, derelictam ipse  
regionem malim ubi hosce locos comparares, quan-  
doquidem solitudo conseruat integras simulachro-  
rum figuras. Prætereà dissimiles forma atque na-  
tura loci comparandi sunt, ut distinctè inter lucere  
queant.

Imagines sunt formæ quædam & notæ eorum rerum, quas meminisse uolumus, ut equi, leones, aquilæ, quorum memoriam si habere uolumus, imagines eorum certis in locis collocamus. Et quoniã rerum similes imagines esse oportet, & ex omnibus uerbis notas nobis similitudines eligere debemus: duplices similitudines esse debent, unæ rerum, quæ exprimuntur, cum summatim ipsorum negotiorum imagines cõparamus: alteræ uerborum, quæ constituuntur, cum unius cuiusq; nominis & uocabuli memoria imagine notatur. Simonides locos esse capiendos putauit, & ea quæ memoria tenere uelis, effingenda animo, atq; in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conseruaret: res autem ipsas rerum effigies notaret, atq; ut locis pro cera, simulachris pro literis uteremur. Sic Cicero. 2. de Oratore.

## EXEMPLVM EX LIBRO II.

Antonij Lulli de oratione cap. I. cum agit de coniecturæ tractatione.

**V**T, quæ dixi, memoriæ firmiter hæere possint, imaginibus ego in tabula proponenda censeuerim: sumpto ad id, quod significanda præceptionis occurreret alterius cuiuscunq; rei Symbolo & excellenti & perspicuo: ut ego aliquando feci. Nam pro cõiectura aggerem iussi depingi è cespite uiridi cum scopo, latus sinistrum tenebat leo, apertis oculis

&



Et intentis: manu tollens loculos. In hoc autem uno  
 aspectu intelligi uolebamus uires animi, corporis, et  
 fortune. Ad dextram aggeris malus erat: in cuius  
 fastigio cor uoluntatem signans. Pendebant hinc, ex  
 una parte larua, quæ personam: ex altera uexillum,  
 in quo scriptum erat **DICTA ET FACTA**.  
 Accubabat præterea in pede mali, draco cum dicto  
 Cassiani **CVI BONO**: atq; hæc quidē cum scopo  
 erant. E regione autem, quatuor personæ refutatio-  
 nem coniecturæ signabāt. Prima erat, Iudæi infidelis  
 habitu, arcum manibus tendens, et scopum, leonem,  
 malumq; simul petens. Hoc est caput ἀπίθανον, id est,  
 incredibile, probat enim per eadem incredibile, per  
 quæ credibile ac uerisimile negotiū uideri potest et  
 efficitur, uoluntatē et facultatē. Iuxta quoq; rusticus  
 procedit, libellū porrigēs, quasi probationū. Hinc mu-  
 lier poma in calathū reponēs, tanquā datura illa dra-  
 coni. causæ enim trāspositio eò spectat. Quarta perso-  
 na etiā mulier erat, altera manu poma remouens, alte-  
 ra rubetā porrigēs draconi: quòd cibus ille non cōue-  
 niat, sed alter magis. Sic in prōptu erant omnia argu-  
 mēta tam actoris, quā rei: illius quidē, leo et malus: hu-  
 ius, incredulus iudæus et rusticus cū duabus fœminis.

Petrus Ramus lib. 3. institutionum Dialecticarum  
 monet, ut methodum utramq; teneamus, nempe do-  
 ctrinæ et prudentiæ: et perspiciamus genesis et a-  
 nalytin: ut, si quis epistolam Penelopes ad Ulysssem  
 memoriæ commēdare uelit, perpendat in primis ab

illo uersu: sed mihi quid prodest u. d. lac. usq; ad quæcumq; æquor habet, syllogismo connexo tractari omnia, & partes singulas annetabit: earumq; præcipuas exornationes. 4. primis uersib. propositio continetur. Deinde sequitur amplificatio nondum positæ assumptionis. Tandem ubi ex. 28. uersibus. 4. propositioni. 16. assumptioni. 8. conclusioni tribuerit, non solum partes, sed partium quoq; sententiam sibi representabit. Nam cum scierit hic primo loco propositionem, secundo assumptionem, & c. intelliget, quæuis cuiusq; partis esse debeat.

Imagines in hoc exemplo occurrent, antiquæ urbis Troianæ ruinæ, agricolæ, ossa, nauæ, mulier solite interrogans, tabellarij, bella, naufragia, cædes.

In longioribus disputationibus ediscendis methodi dispositio auxilium feret. Nam definitiones, & distributiones uiam aperient. Partitis enim distributisq; rebus, uerborum quoq; contextus facilius ediscetur.

Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Accedet meditatio, ut per partes paulatim memoria ducatur, & modica uoce in meditatio animus excitesur. Nam dicendo, & audiendo memoria iuuabitur.

Si quis locis, & imaginibus uehementer delectatur, legat libellum Petri Rauēnatis de arte memoriæ: & ut imagines celerius fingat, legat heroica Claudij Paradini Antuerpiæ in 16. anno. 1553. Pegasus Petri Costalij, & Emblemata Alciati, hieroglyphica Pierij Valeriani, & Ori Apollinis, Symbola Bo-

DE MEMORIA

catij, & libellum qui inscribitur *Picta Poësis*. Quamquam, ut aperte dicam quod sentio, uerborum memoria infinitate formarum, & imaginum perturbatur, dum propter singula uerba ad singulas species est dispiciendum.

Ego, ne lectores auidi mihi succenseant, catalogum auctorum, qui de memoria per imagines uerba fecerint, apponam. Sunt autem M. Tullius. Quintilianus. Stephanus de Lauro. Franciscus Petrarca. Matheolus Veronensis. Iacobus Publicius. Ioannes Surgant. Ioanes Reuchlin. Georgius Resch. Georgius Sibuti. Extat etiam libellus, qui sic inscribitur: *Fœnix domini Petri Rauennatis memoriæ magistri*. Et alter omnium copiosissimus sic inscriptus: *Congestorium artificiosæ memoriæ Ioannis Romberch de Ryspe, Venetijs per Melchiorum Sessam, 1533.*

Lallu



31

LAVRENTII PAL  
MYRENI DE ACTIONE  
seu pronunciatione  
libellus.



Voniam pueritia nostra Gramma-  
ticis traditur excolenda, hoc unie  
tenella etas assequitur, ut omnes  
literarum sonos rotunde atq; abso-  
lute pronuntiet, nihil ab ea putidius  
expressum, nihil negligentius ob-  
scuratum, nihil exinanita uoce languidius, nihil in-  
flata grauius dictum audiatur. Et syllabas neq; deuo-  
ret, neq; numeret, sed clare atq; aperte proferat, &  
accentu, uel graui, uel acuto, uel circumflexo deceter  
enuntiet, tum & incisa, & mebra, & ambitus, & mi-  
nora etiam his omnibus spatia orationis uelut inci-  
so, & intercepto, & concluso, & occulte quasi surre-  
pto spiritu distinguat.

At ubi Rhetori traditur, illa quidem que a Gra-  
matico accepit fidelissime retinet: sed alia quoq; edis-  
cit, que ad manus, uocem, uultum, & digitos compo-  
nendos pertineant. Oportet etiam tenere que uocis  
flexiones & uarietates in singulis rebus, & figuris,  
in totis deniq; affectibus adhibenda sint. Quoniam  
ubi aliquem ad misericordiam commouere uolet, non  
Grammaticos, sed Oratorios canones obseruabit,

quos

quos sic Horatius commendat:

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt  
 Humani uultus: si uis me flere, dolendum est  
 Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia laedent.  
 Tristia moestum

Vultum uerba decent, iratum plena minarum.

Percussus quidam à uicino, petebat à Demosthene placido uultu summissaq; uoce, ut suam causam suscipere-  
 ret, factamq; sibi iniuriã iudicio prosequeretur. Negauit illum Demosthenes affectum esse iniuria, eiusq;  
 causam esse suscepturum. Rursus cum ille idem ab eo impetrare contenderet, multisq; precibus & obtestationibus iureiurandis casum se esse ab altero affirmaret, à Demosthene iterum repulsus est: is igitur & repulsæ, quam à Demosthene patiebatur, & inultæ iniuriæ, quam ab inimico acceperat, dolore percitus ex imo pectore suspiria ducens lacrymis uultum omnem madefecit: quibus Demosthenes commotus & affectus est ad causam eius suscipiendam, dicens: Dicendi impetum, ex irascente sibi fuisse capiendum.

Etenim commoda inuentio, & concinna uerborum elocutio, & partium causæ artificiosa dispositio, & horum omnium diligens memoria sine pronuntiatione, non plus quam sine his rebus pronuntiatio sola ualere poterit. Hæc ad docendum persuadendumq; plurimum ualet, & dilucidam orationem, ut ait in Partitionibus, & illustrem, & probabilem, & suauem, non uerbis, sed uarietate uocum, motu corporis, &

ultu facit, ut merito Demosthenes ei primas partes secundas, & tertias attribuisse uideatur.

Barbarus quidam Pontici Regis Legatus, cum ei Nero imperator potestatem fecisset optandi, quod uellet, histrionem quendam eximium, quem uiderat gestu corporis res omnes exprimentem, optauit. Admiranti autem Neroni & percontanti, quamobrem tam exiguum munus postularet, respondit Regem suum multis populis lingua disparibus imperare, apud quos hic histrio interpretum multorum instar unus esset. Hinc M. Tullius actionem corporis quasi sermonem & eloquentiam nominat, quasi mutum corpus motu suo, gestuque loqueretur. lege Val. Maximum, & Bar. Fulgosum lib. 8. cap. 10. in Collectanea de dictis & factis memorabilibus.

Pronuntiatio, est apta conceptæ elocutionis enuntiatio. Hæc lex à uoce, periergia ab actione dicitur, ante Aristotelem ferme nulla fuit. mox à Poëtis, actoribus, Scenicis, Thymelicis inducta.

Recitatores erant qui ex scripto legebant gestu neglecto, lege Plinij epistolam: Hortaris, ut orationem amicis pluribus recitem. &c. Sueton. de Augusto.

Pronuntiationis partes duæ: nempe uox & motus. Prior ad aures auditorum, altera ad oculos reuocatur.

Omnes dictiones Latine, ut nerui in fidibus, ita sonant: ut à rerum quæ proferuntur, quasi motu pulse fuerint: sic Fabius lib. 2. exordium pro Milone compositum esse docet.

Danda opera est, ut ubi oratio numerosior fuerit, uox ipsa cantum uarie, dissimulanterq; moduletur, & ut in pronuntiando optatio uoluntatem, deprecatio supplicationem, anacimosis consultationem, epitropice consensionem, prolepsis alienam cogitationem, prosopopeia fictionis inducta speciem, alienamq; uocem, exclamatio, sustentatio, & parrhysia, amplificationem declarent. Ut hoc pueri facile prestare queant, fragmenta aliquot Ciceronis, Virgilij, & interdum nostras suppeditamus: hæc illi coram condiscipulis, premio mediocri proposito, pronuntiant.

Deinde in exercenda uoce cauendum, ne grauissimis in dicendo, aut acutissimis sonis diutius utamur: Medius accommodatissimus est, à quo primum uox incipiens gradatim ascendet, deinde sonus uariabitur, & distinguetur: quoniam ad uocem in dicendo obtinendam nihil est utilius, quam crebra mutatio, nihil pernitiosius, quam effusa sine intermissione contentio.

Intendendæ uocis in oratione tota sicut in singulis dictionibus tres sunt gradus, id est, accentus tres, primus, grauis, & plenus, ut si inter coenam in tuis immanibus illis poculis, &c. In recitatione collationis producenda sunt omnia, trahendæ uocales, aperiendæ fauces, quò maior quàm antea fortitas exprimat. Secundus acutus sonus est, ut pro Ligario. Vide quàm non reformidam, &c. Tertius moderatus & circumflexus, ut: Quid enim Tubero tuus ille, &c. Reliquæ quæ ad uocem spectant, à Medicis petenda sunt.

## Cap. II. de Motu.

**Q**uoniam motus corporis est gestus, & uultus moderatio quedam, quæ probabiliora reddit ea quæ pronuntiantur. sed uis conandum est, ut decorum in motu potissimum seruemus. etenim ex motu membrorum certa uoluntas agnoscitur. Indè sunt illa: Ni fingeres Callidi. &c. & Dauid Terentianus inquit: Non potum intereſt, utrum ex animo quid, an de industria facias. & Virgilius: Oli subridens hominẽ sator. &c. Motus in uultum, & gestum diuiditur. uultus in facie est, gestus in reliquo corpore.

Caput mobile debet esse, non rigidum & durum. Supinum arrogantiam indicat, submissum humilitatem & pudorẽ. inclinatum in laus, langorem & somnum. iactare caput, & comam rotare, fanaticum est. nutat in transuersum cum negamus: in prouum, cum concedimus, aut affirmamus.

Frons modicè demissa & corrugata pudoris est. qui talem non habent, effrontes & impudentes sunt. Serena & explicata hilaritatem & clementiam ostendit.

Supercilia sublata arrogantiam, demissa uerecundiam indicant: crudelitatem uerò, cum alterũ est sublatum, alterum compositum.

Oculi sunt animi indices, unde à ueteribus dictum animum in oculis habitare. Ardentes ergo iracundiã ostendunt: intenti, attentionem: suspicientes anxietatẽ: clausi inimicitiam: nimium deducti stoliditatem: semi



clusi insidias peti Venirem.

Nares corrugatae illusionem indicant: frequens attemnarum emunctio ab Oratoribus damnatur.

Buccae inflatae arrogantiam, demissa tristitiam & desperationem ostendunt.

Labia porrecta stulti sunt, astricta humilium, diaducta illudentium. cum mordetur, iratorum. ea lambere, vitiosum est. in rictu sit modus, ore enim loquimur, non labris. Qui vero toto vultu loquitur, delirat: nam etiam aures si posset, moueret.

Cervix ipsum caput sequitur. collum vero tristitia contrahitur, hilaritate, aut superbia dilatatur.

Mentum non erit pectori affixum.

Humeri nec admodum erigendi, nec contrahendi.

Brachia modice projiciuntur, donec oratio incalcescat.

Manus loquacissimae sunt: haec pectori admouetur, cum de se quis loquitur, cum de alio, ad eundem intenditur: strepitu pronae manus silentium demonstratur.

Digitus ori impressus silentium declarat.

Pectus & venter ne promineant.

Gentibus flexis honorem impendimus.

Pedes componantur ita, ut alter porrigatur. nam iunctis pedibus stare, muliercularum est. Vniuosum quoque est, dextrum pedem & dextram manum simul proferre. uniuosum sinistro pede insistere, & dextrum atque tollere ciconiarum more. vitiosa pedum vacillatio, ut in limbre versari videaris. vitiosa frequens pedum

Inter se mutatio & diuaticatio Supplosio pedum hodie nulla est.

### Cap. III. de usu dictorum.

**V**T autē facilius quæ de actione obseruabamus, ad usum reuocare queas, hæc obseruabis.

Initio dicendi dabis operam, ut erectus sit uultus, sinister pes paulo momento præcedat, potissimum si dextra manu fiat actio, quæ paululū ultra sinum proferri debet.

Tunc licet togam componere, ut sit aliquid spatij, ad cogitandum, nam cura dicentis delectat.

uitiosum est, barbam demulcere, comam dirigere, manum intueri, articulos infringere, faciem perfricare, lacunaria intueri.

Vox sit remissa, non murmurans, hinc paulo altius assurget, quæ est uerecundiæ utilis, & faciet ne a spera arteria subito lædatur. de ueste lugubri in rebus tristibus lege Athenæi lib. 13.

Gestus cum laterum inflexione uirili probatur, nō ab scena & histrionibus, sed ab armis, & qui trunco magis toto uniuersam rem atq; sententiam declaret, quàm partibus demonstret. Est tamen in partibus actio decora, nam caput annuendo, & reuendo, comò modè mouemus. In uultu multa sunt: nam hoc supplices, hoc minaces, blandi, seueri, remissi q; sumus. Hunc animi interpretem appellamus: cauendū ergo ne quid sit uultuosum.

Bracchium tanquam telum in contentionibus pro-  
ficiendum, contrahendum in remissis. At cum specio-  
sius quiddam dicendum fuerit, ut illud: Saxa & solitu-  
dines uoci respondent, expatiatur in latus.

Manus honesta fuerit digitis subsequens uerba, non  
exprimens: exprobrando autem & indicando, index  
plurimum ualet.

Ex omni gestu mirifice placuit initio dicendi ue-  
recundia Crasso & Ciceroni: ita ut de industria in-  
exordienda oratione perturbarentur. Sic pro Deiotar-  
o: Cum in omnibus causis. &c. Sic Vlysses stetit ocu-  
lis in terram defixis, immotoq; sceptro priusquam illa  
eloquentiae procellam effunderet. lege exemplum De-  
mosthenis apud Ciceronem de Oratore: ut illius exem-  
plo uitia naturae & impedimenta, possis diligentia,  
industriaq; superare. Cicero quoq; in calce libelli de  
claris Oratoribus ostendit suum collum gracile, suam  
uocem asperam, improbo labore ad bene orandum pos-  
tuisse detorqueri.

### De etate gestuum.

**O**lim Hortensius tota causam in digitis partici-  
pabatur: ut nunc facient bene annulati.

Olim dicendo obambulabant, unde Crassus Seue-  
rus lineam poscebat, qua Oratores detinerentur.

Femur tande batur in indignatione.

Frontem percutiebant indignabundi: inde ad Atti-  
cum Cicero: Frontem ferias.

Stupescens

Stupescientes suram femori imponebant. medius digitus in pollicem contrahabatur reliquis tribus explicitis, cuius lenis motus exordijs competebat. productior in narratione, longissimè exertus in confirmatione.

Supputatio in manibus & digitis fiebat, lege Equitationem Calcagnini & Bedam.

Presso pollice fauorem indicabant.

Aurem uellere, erat memoriam refricare.

Supplicantes genua contrectabant, in quibus sedē misericordiæ statuebant: interdum mentum contingebant supplices, ut ex Homero colligimus.

Irati uestes proscindebant.

Prostrati pedes osculabantur.

Oculos & faciem osculabantur occurrentis amici.

Prostrati adorabant.

Osculando manum adorabant in fide præstanda.

Lugentes barbā tondebant, abradebant κτενίγιοι.

Adituri Regem terram longeabant.

Iurantes manum leuabant.

Testimonium dicturi manus capiti ipsius rei imponebant.

Mœsti manus supra caput collidebant.

Manuum, uel digitorum ostensione populus suffragia dabat.

Conspirantes & coniurati manus in manibus habebant.

Superstitiosè reuerentes manum ori apponebant.

Pœnitentes manum femori conflegebant.

Oratores Romani cùm habebant orationem, stabant: at nostra ætate per multi sedēt. declarat hoc Cicero in ea quæ est pro Aulo Cluentio, cùm ait: Hic ego cùm ad respondendum surrexi. &c.

Frontis percussio dolorem & indignationē ostendit. Oratores qui frontem ferirent Cicero laudat in Bruto: Quintilianus improbat lib. 11. quòd scenicum sit.

Locus autem in quo dicebant suggestus, uel suggestum dicebatur. unde Cicero quinta Tusculana sic loquitur: Cùm in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alia solebat. unde & hodie dicimus, ascendere in suggestum uel ad dicendum surgere. Plinius & Suetonius pulpitem uocant.

Rostra rostrorum templum erat Romæ in foro ante curiam hostiliam, pulpitem habens nauium Antiatium rostris adornatum, ex quo ad populum concio haberi solebat, ut docet Linius lib. 8.

Confessus, conuentus, corona, coetus, concio, qua ratione inter se distinguantur dabit Valla lib. 4. docet etiam Ioachimus Perionius in commentarijs in consensiones Titi Lij.

FINIS RHETORICAE LAVS

ren:ij Palmyreni ου τὸ θεῖον παλάμιε.

30

SYLVIA

STYLA

## Veterum apo-

**PHTHEGMATA** COM-  
**PLECTENS**, QVAE VERBORVM  
 obscuritatem fugiendam esse, uitandum solæcismum,  
 & orationem nimis elaboratā, & id genus alia  
 magna historiae suauitate declarant,  
 à Laurentio Palmyreno ex varijs  
 autoribus collecta.



**H**eripides obtulit Socrati librū ab Hes-  
 raclito conscriptum: eo lecto, rogauit  
 quid illi uideretur: Per Iouem, inquit,  
 quæ intellexi, mihi præclara uidentur,  
 qualia puto & ea quæ non intellexi:  
 sed opus est Delio quopiā natatore. Notauit perquā  
 falsè affectatam eius scriptoris obscuritatem, unde  
 & ονομαζω cognomen inditum est.

Melanthus interrogatus, quid sentiret de Trages-  
 dia Diogenis, negauit se uidisse, quòd esset oblecta uer-  
 borum inuolucris. notans, ambitiosa uerborum copia  
 rem obscurari.

Fauorinus Philosophus audiens adolescentem ob-  
 scurioribus & inusitatis uerbis loquentē. Curius (in-  
 quit) & Fabricius dilucidè cum suis fabulati sunt, ue-  
 que Aruncorum, Saccanorum, aut Pelasgorum uerbis  
 quicquam

quicquam sunt locuti.

Demonax, cum quēdam nescio quid interrogasset, atq; is obscuris planē uerbis respondisset: Non intelli go, inquit, quid dicas: loqueris enim cum apertē tecū loquente, quasi Agamemnon adhuc uiueret.

Pausanias Cappadox, cum inter perorandum confundens consonantes, breues producens, productas uerō corripuens, auditus esset: uulgō dictus est malus coquus, qui pretiosa obsonia malē condiret.

Cassius Seuerus imperator, in aduocatione quadā cum M. Pomponius Marcellus Latini sermonis molestissimus exactor, solecismum ab aduersario factum arguere perseueraret, interpellatis iudicibus dilationem petiit, ut litigator suus alium Grammaticum adhiberet: quōd diceret, sibi cum aduersario non de iure, sed de solecismo controuersiam futuram.

Zeno Citteus dicere solebat, formam esse uocis florem: nam loquentis orationem forma commendat, & rursus etiam oratio cōposita gratiam addit formæ.

Idem eleganter ac politē loquentium sermones dicebat esse similes pecunie Alexandrinæ, oculis blandienti, atq; undiq; scripturam habenti more numismatis, nihilo tamen esse meliorem. Rursus qui magis studerent, utilia dicere quàm nitida, similes esse dicebat tetradrachmis, temerē ac ruditer percussis, quæ sæpē picturatis illis nummis præponderarent. in nummo non spectatur elegantia sculpturæ, sed pondus ac materia: ita non refert, quàm sit elegans oratio, sed quàm grauis & utilis.

Scopelianus Herodis Attici præceptor, Polemoni obijcienti quod inter dicendum pulsaret tympanum: Tympanizo, inquit, sed Aiack clypeo, haud inficians se in agendis causis, interdum uti uerbis ac figuris uehementioribus, at non inani strepitu, sed ad causæ pericinium ac commodis.

Demetrius Phalereus, quantum in bello ualere ferrum, tantum dicebat in Repub. ualere orationem. illic enim res geritur uiribus, hic persuasione.

Diogenes Cynicus Oratores carpebat, quòd studebant iusta dicere, sed eadem facere negligebant.

Idem Oratores, qui summo in pretio habebantur Athenis, dicebat turbæ ministros, quòd ad gratiam loqui cogentur, ac seruiliter adulari stolidæ multitudini. Coronas autem dicebat esse gloriæ pustulas, ἔξασθήματα, qualia nonnullis progerminant in naso, uultuq; exbile.

Idem in caupona prandens, Demosthenem forte prætereuntem inuitauit ut accederet. Id cum ille pudore recusaret. Erubescis, inquit Demosthenes, cauponam ingredi? atqui hic herus tuus quotidie uersatur, innuit Oratores nihil aliud esse, quàm mancipia populi. nec esse par, ut illic pudeat seruum populi uideri, ubi populus assidue uiuere.

Idem Oratores ac cæteros omnia ad gloriam faciētes, appellabat, τρεῖς ἀνδρῶν ὄντες, id est, ter homines, ancipiti dicto. Nam ut uulgus hominem esse negat, qui nec doctus est, nec humanus ita Philosophus hominem uocabat miserū, qui nihil haberet supra hominem.



minem, siquidem iuxta Homerum, nullum animal ho-  
mine miserius proinde ter homines dixit, ter mis-  
eros, qui sua studia conferrent ad rem inanissimam,  
ac populari multitudini, multorum capitum belluæ  
seruirent seruitutem.

Demosthenes interrogatus, quomodo Orator fa-  
ctus esset? respondit: Dum plus olei quàm uini absum-  
merem.

Phocion Atheniësis breui oratione utebatur, cæ-  
terum grauißima quem cum surgentem uidisset De-  
mosthenes: Ecce, inquit, meæ orationis culter surgit.

Pyrrhus Epirotarum rex dicere solebat, plures  
urbes suo imperio additas oratione Cyneæ oratoris  
ac legati, quàm suis armis.

Pericles ad perorandum à populo sæpe laceßitus,  
negauit, quia imparatum se esse diceret.

Chrysippus stoicus dicere solebat, cogitationem  
orationis esse fontem. Nihil autem aliud hoc dicto  
uoluisse uidetur, quàm negotium omne prius probe  
examinandum esse, de quo dicturus es, & tum demum  
orationem numeris omnibus absolutam struere te posse.

Demosthenes cum ad ineptum, ac nullius bonæ fru-  
gis ex tempore dicere ac consultare iussus, & accers-  
sus ad consulendum esset, recusauit: Non enim, in-  
quiens, instructus sum.

Idem Epicli opprobianti, quod semper dicturus  
meditaretur: Erubescere, inquit, optimo iure, si tan-  
tae multitudini consulens, dicerem ex tempore. Quod  
alij præclarum esse ducunt, subito ex imparato dicere,

Cere, id uir cordatus iudicabat esse temeritatis.

Idem cum postridie concionem ad populū habiturus esset, totam noctem præcedentem uigilabat: scilicet ad meditandum & ediscendum, quæ dicturus erat. Hanc igitur ob causam Pythias torquebat in ipsum somnia, sententias eius elijchnia redolere dicens.

Demades Orator clarissimus iocari solebat in Demosthenem, quod ceteri quidem Oratores dicerent ad aquam, ipse uero, & scriberet. Taxans eum, quod nunquam, nisi de scripto diceret, tum esset *ὁλοπότῆς*. contra Demades, ut largius bibebat, ita uaribat ex temporali dictione.

Lysias, quum Socrati orationem, quam in eius defensionem composuerat, recitasset, præclara inquit, & elegans est oratio, sed non cōuenit Socrati. Erat enim oratori instituto aptior, quam Philosopho.

Rursus Lysiae percontanti, cur si bonā iudicaret orationem, putaret sibi non conuenire? Nonne, inquit, fieri potest, ut amictus aut calceus elegans sit, ac pulcher, qui tamen alicui non conueniat? Quo dicto ostendit, eam orationem gratam esse, quæ suo loco suisq; personis conuenit.

Apud Agesilaum Lacedæmoniorum regem, cuius quidam rhetorem laudasset, quod mirifice res exiguas uerbis amplificaret: ego inquit rex, ne sutores quidam arbitraret bonum, qui paruo pedi magnos inducat calceos. Sensit uir prudentissimus, eum demum beneuolere, cuius oratio, rebus cōuenit, ex quibus

bus orationis qualitas potius, quam ex artificio petenda est.

Quam Græci nolent rescindere pacta, quæ cum Antigono, & Cratero pepigerant, & amplecti libertatem, quam offerebat Archidamus, ueriti ne grauiores essent habituri Lacedæmones, quam Mæcedones: Ouis, inquit, semper eandem edit uocem: Cæterum homo multas ac uarias emittit uoces, donec quod decreuit confecerit. Hoc dicto significans, fallendam esse fidem, si qua magna mouet utilitas: Nullū autem est animal, cui tam uaria uox sit, quam homo. Hoc apophthegma uideri possit indignum Læcone, nisi post integritas eius gentis Barbarorum cōmersio degenerasset, Dicti potest honestus aliquis usus esse: ueluti si quis admoneat, pro tempore, proq; re nata uariandum esse sermonis habitum: est ubi loquendum sit seuerius, est ubi blandius, est ubi magnificentius, est ubi submissius. Est ubi iucundius, est ubi durius, id si fiat citra perfidiam prudentia est, porro ouilli mores dicuntur, hominū stupidorū qui sese nesciunt rebus ac personis accōmodare. Græcorū igitur constantiā Archidamus stultitiæ tribuit, qui proposita libertate nolent mutare uocem. Ctesiphonem ex urbe eiecerunt Lacedæmonij, quod gloriaretur, se de re quauis totum diem posse dicere: Boni oratoris esse dicentes sermonem habere rebus parem. Nulla quippe in re iustius putarunt exercere frugalitatem, quam in oratione, quam Hesiodus non aliter quam pretiosum thesaurum parcissimè censet esse depro-

Repromendam ad usum, non ostentationem.

Adolescens quidam Anaximenes Rhetoris discipulus orationem à præceptore meditatam, & à se recitandam, subornatus coram Antigona habebat, quumq; is inter audicndum, quiddam scire cupiens sciscitaretur, moxq; adolescēs reticisset: Quid aisē inquit Antigonus, num ista sunt in tabulis descripta & quod ille in adolescente iudicavit absurdum, hoc hodie magnificum habetur, ut senes etiā apud principes orationem à Rhetore quopiā conducto sex mensibus elaboratam ediscant, eamq; psittacorum more redant, nec raro fit, ut nemine etiam interpellante sibi excidant, cunctiq; ridiculi sint.

Aeschines cum propter ignominiam iudicij cessisset Athenis, & in Rhodum conulisset, rogatus à Rhodijs fertur legisse orationem illam egregiam, quam in Ctesiphonem contra Demosthenem dixerat, qua perlecta, petatum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam quæ erat contra à Demosthene pro Ctesiphonte edita: quam cum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus, quanto inquit, magis eam miramini si audissetis ipsam? Quo satis indicavit, quantum esset in actione situm, cum orationem eandem aliam esse putarent, autore mutato.

Curio Orator præterquam quod in cogitando esset tardus, in instruendo dissipatus, parumq; rerum propositarum meminisset, in utraque etiam parte toto corpore vacillabat in oratione. In huc urbane. C. Julius vocatus est: quasi enim quis loqueretur & Lintres

Vibane

Urbane, Flavius Virginius antisophistam quendam suam interrogauit. Quot millia passuum declamasset? Taxans eum, quod in declamando discurreret, nimiumque crebras, longas ac tumultuarias haberet ambulationes. Cum M. Tull. Oratori non concedat procurSIONES, nisi raras moderatas, ac breues, eandem ob causam Sura Manilius, Domitio, Afrodictus est non agere, sed satagere.

Salsum est illud Cassij Seueri, qui aduersus patronos immodicè discurrentes, ut interdum se proriperent in aliena tribunalia poposcit lineam. Alludens ad certamina cursus, in quibus una linea designabat, unde cursus inciperet. Idem accommodari potest in eos qui digressionibus immodicis diuertunt ab instituto.

Posteaquam Themistocles primùm Athenis, mox tota Græcia depulsus, ad Persarum regem confugisset, admissus, iussus est dicere. At ille respondit, orationem similem esse picturatis stragulis: nam quemadmodum, inquit, illæ dum extenduntur, ostendunt imagines, dum contrahuntur, celant easdem, & abolent: ita dem fit in oratione.

Antiochus hoc dicto taxauit Hermogenem, ut diceret illū inter pueros esse senem, inter Senes puerum siue ob ualetudinem ante tempus imbecilem, siue ob dictionis genus neglectius. Alij per locum dicebāt illius uerba planè iuxta Homerū esse  $\pi\lambda\epsilon\gamma\omicron\upsilon\lambda\alpha$ , quod ea ueluti pennas abijceret.

Julius Florus, quum aliquando adolescentiē tristem,

eundemq; scholasticum uidisset, interrogauit: *Que causa frontis esset tam deducta, qui à triduo, inquit adolescens, materiæ ad scribendum destinatae, non inueniret exordium.* Tum Florus: *Nūquid tu melius dicere uis quam potes? Ita res se habet, curandum est, ut quam optime dicamus. Dicendum tamen profacultate. Ad profectum enim opus est studio non indignatione.*

Latro Porcius, cuius ingenium supra modum miratur. Seneca (fuit enim illi condiscipulus) cum Maximillus rhetor exilitatem orationis suæ impuaret controuersia, diceretq;: *Necesse est me per spinosum locum ambulante, suspensos habere pedes. Non me Hercule, inquit, tui pedes spinas calcant, sed habent. Nam alter ariditatem ingenij imputauit materiæ.*

Cum orator quidam malus, qui in epilogo seputabat mouisse misericordiam, postquam assedit, rogaret Catulum, uideretur ne mouisse misericordiam? Ac magnam quidem, inquit, neminem esse puto tantum durum, cui non oratio tua miseranda uisa sit.

Pericles Xatippi filius, quotiescūq; uerba facturus in concionem prodiret, optabat ut sibi nullum eiusmodi uerbum excideret quod populum exasperare atq; irritare posset, aut quod illi contrarium esset, aut cum ipsius uoluntate pugnare uidentur. Unde liquet, quā præmeditatus Pericles orationem habiturus in publicum uenerit.

Poetus Sophista reperisse uidetur quasdam orationis delicias, ueluti contraria inter se redita, mem-

bra comparia, similitudine desinentia, quibus immodice  
 ee putatur usus his ornamentis cum se iactaret insolentius.  
 Plato sic hominem taxavit. ὦ πόλις, ἵνα πρὸς εἶπὼς  
 σε κατὰ σε, id est, ὦ Pole, ut te tuo alloquar modo.  
 Polus Græcè sonat pullum equinum: ipso itaque stæ-  
 tim nomine tetigit hominis arrogantiam. Imitatus  
 est ὁμοιωτῶν πῶλε σε κατὰ σε

Zeuxis pictor insignis cum Helenam pinxisset.  
 Nicostratus pictor stupefactus imaginem intueba-  
 tur, sic ut manifestum esset, cum picturam admirari.  
 Accedens itaque quidam, rogabat, quidnam tantum  
 artem admiraretur. at ille: Non, inquit, id me roga-  
 res, si meos oculos haberes. Ego verò idem de ora-  
 tione dixerim: Nisi qui eruditas habeat aures, non fa-  
 cile sano iudicabit iudicio.

Demonax Phavorini dictionem ut nimium com-  
 positam, ac mulieri congruentiorem, quam Philoso-  
 pho, solebat disterijs incescere. id indignè ferēs Pha-  
 vorinus, adijt Cynicum, percontans quis esset ille à  
 quo derideretur. Homo, inquit, cuius auribus difficilis  
 le est imponere Philosophum. ut uestis neglectior, ita  
 et oratio decet in affectata.

Antigonus Rex quendam Rhetorem audiens ita  
 loquentem: Hora niuiū iaculatrix adueniēs, regionē  
 herbis defectam reddidit: Nō desines, inquit, mecum  
 ut cum turba agere? Offensus est Rex oratione nimis  
 elaborata, cuiusmodi verborum apparatu solent se  
 venditare Rhetores apud imperitam multitudinem.  
 At idem apud Regem facere, erat illius abui patien-

dia. Quoniam affectata sermonis structura, Latine non perinde potest exprimi, Græca ponam χιονόβολος ἢ ὄρα γενόμενι, λιποβοτανῶν ἐποίησε τὴν χῶραν. ψυχῆ νόσολος ἢ ὄρα. dicere poterat hyems: Ἐλαποβοτανῶν. uerbum est affectatum, uixq; Poëtae concedendum.

Mæcenas uir alias laudatus, in stylo lasciuiabat, uerbis affectatis & compositioni insolenti frequenter indulgens. Augustus contra uerbum insolens quasi scopulum fugiendum esse dicebat. Ad alios itaq; scribēs, stylo simplici consuevit uti. Mæcenati uerò, quem familiariter amabat, scribens, Mæcenatem imitari solebat: adeò ut in quadā epistola multa liberiùs ac dissolutiùs iocatus, hanc adiecerit clausulam: Vale mel gemmum, Metuelle, ebur ex Etruria, laser Aretinum, adamantas supernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum smaragde, iaspis figulorum, berille Porfennæ, carbunculum habebas, ἵνα σωτέμνὸπᾶν]α μαλαγμα μεχάγυμ. Sic irrifit parum uiriles amici inscribendo delicias. Eiusdem μυροβείχῶς cinnamos iocis excogitare consuevit, uoces ac sententias ineptas factores appellare solitus: sermonem amabat purum, & elegantem, qui sententiam quàm apertissimè declararet. nec Tyberio pepercit interdum reconditas & exoletas uoces aucupanti. M. Antonium increpabat, uelut ea scribentem, quæ homines mirentur potius, quàm intelligāt. Quis & Agrippinæ nepus ingenium collaudans, hoc adiecit: Sed opus est dare te operam ne molestè loquaris.

Oscus Rhetor, cū eloquētissimus esset, illius tamē orationē nihil aliud uitiabat, quàm affectatio: nihil enim



sine schemate dixit unquam. Idcirco; cum Pacatus rhetor Massiliae ei obviam factus esset: Poteram, inquit, dicere: Ave Osce, afficiatorē affectata salutavit oratione: usus est enim ironica occupatione, prater omnē necessitatē, ut irrideret hominem semper affectatē loquentem.

Cum M. Lepidus in Senatu dixisset Patribus conscriptis, ne dicam circumscriptis: Ego, inquit Cicero, non tanti fecissem omioptoton, satius enim erat schemata perdere, quàm Senatum offendere. est etiam prosoponastia.

Cuidam iactanti de arte Rhetorica: At per geminos, inquit Lacon, ars nisi verum attigerit, nec est, nec unquam erit. notavit Rhetores qui se profitentur, verisimilia dicere, licet vera non sint.

### *Finis Apophthegmatum.*

**I**Nter fragmenta declamationum à Petro Aerodio ex antiquissimis manuscriptis codicibus collectarum, nos hoc argumentum quod sequitur, inuenimus.

### *ARGUMENTUM.*

Parricidij reus paribus sententijs absolutus furem re coepit, & dicere frequenter: Ego te, pater, occidi. Magistratus tanquam de confesso supplicium sumpsit. reus est cædis.

Palmyrenus defendit hoc ordine ac methodo. *Dis-*  
*tabat* quotidie suis auditoribus octo lineas plus mi-  
 nus Hispanico sermone, quas ipsi Latinas facerent:  
 deinde emendabat diligenter quæ discipuli conuerte-  
 rant: ad extremum suam ipse addebat conuersionem,  
 quam in ambulans dictabat: & Ioannes Agorreta Va-  
 lentinus excipit magis emendatam quam alij, ut hie  
 legis. 1566.

DECLAMATIO QUÆ  
 Iudex oppressus inscribitur,  
 Laur. Palmyreni.

**Q**uanquam grauiter & iniquo animo ferimus  
 diem nobis dici, & multo uehementius commo-  
 nemur, si prouinciam iudicandi nuper nobis conces-  
 sam, reflante fortuna in nos ipsos conuersam intue-  
 mur: tamen libentissimè coram inuictò rege accusari  
 patiar, quòd acerrimus iudex paulo seuerius de scele-  
 ratis, & turbulentis ciuibus supplicium sumpserim.  
 Hoc enim magis honorificum arbitror, quàm si ob-  
 trectatores meam in tuis præceptis seruandis inertiam  
 accusarent. Intelliges, intelliges serenissime Princeps,  
 nostra iudicia nec metu, nec spe corrupta, nec ambi-  
 tione suspecta, nec ullis præmijs, aut precibus fuisse  
 deprauata. Adsum enim hodie seueritatis immodice  
 reus, ut aduersarij mei dicunt: ut autè ego paulò post

aperiam, iuste & summopere necessarie. Utinam tibi esset integrum tantis curis feriato, & reiecta mola negotiorum, quæ à vastissimis regnis & regionibus quibus imperis, proficiscuntur, orationem nostram & apologiam ea attentione, quam res mea desiderat, auscultare. Intelligeres enim quàm accuratè, quàm sine succo & fallacijs, provinciam, quam mihi tradideras, exornare contenderim. At quoniam maiestas tua & occupationes grauiiores copiosam orationem respiciunt, breuiter persequemur, quæ nos ad poenas de adolescente sumèdas impulerunt: ut facile accusationem meorum aduersariorum fraude & inuidia concitata esse cognoscas. Nefarius ille & sceleratus adolescens, luxu perditus, matronas, & nobiles puellas infestabat, laudatos puerorum mores alea corrumperebat, cò autem nequitia peruenerat, ut pater unicum filium odio Vatintano prosequi cogeret: tandem inter sicarios, inter turbulentos ciues, inter ganeones fori incolas primus habebatur. Infelix senex ueritus ne grauioribus sceleribus perniciem sibi, aut Reipub. compararet, illum in carcerem tenebris, & caligine metuendum coniecit. inde tamen, nescio quo malo genio fauente, excessit, euasit, erupit. Nocte uerò, quæ adolescentis fugam secuta est, tremendum uisu, uarijs uulneribus confossus senex in lecto conpicitur. Sed audi reliqua: Vix dies septem à patris interitu numerasabantur, quando misellus adolescens compedibus aligatus coram me, & alijs iudicibus sistitur. At affi-

nes & propinqui, ueriti ne iuxta prouerbium, talum  
 à sacra linea mouerent, parricidium omne silētio in-  
 uoluerē contenderunt: quo factum est, ut istius nefarij  
 uita iam deplorata seruaretur. Sedebamus quinq; ui-  
 ri, cū uerō testes oculati nulli, accusatores urgerent  
 nulli, adolescentem immunem, & liberum dimisimus.  
 Vix quartus mensis agebatur, quando reus mania la-  
 borans, tanquam aēstro percitus, in plateis & com-  
 pitis...stræ urbis exclamare cœpit: Ego te, pater op-  
 time, miserum interfeci. Qua re probè cognita, ip-  
 sum laqueo uitam finire compuli, & in crucem tola-  
 bi iussi. Perpende nunc, inuidiosissime Princeps, quā  
 uersutē, quā callidē hostes meos abusi innocentia,  
 uirtutem in crimen conuerterunt, & expectatum  
 premium in atrox & horrendum supplicium com-  
 mutarint. Extat lex multis seculorum præiudicijs con-  
 firmata, & ab heroicis repetita temporibus, in hunc  
 modum: **MAGISTRATVS DE CON-  
 FESSO** supplicium sumat. Cū ergo adole-  
 scens iste apertè confiteretur: & constanti fama, atq;  
 omnium sermone confirmaretur, hunc parricidam  
 esse, quis esset adeo amens, qui meum in hac re silen-  
 tium non esse Demosthenis argentangnam iudica-  
 ret? Iam si ulla de mea in hoc iudicio integritate tor-  
 quet animū tuū dubitatio, exquire qua soles diligētia,  
 scrutare ut uoles: nam & ipsi accusatores mei audi-  
 esse ab omni ciuitate nefariam, uocē istā cōfirmabūt.  
 Ego furens, mi pater, te nefario scelere, euita sustuli.

Quare si adolescentis uoce ac testimonio dubitatio  
 omnis sublata erat, nonne piaculum fuisset, maiorem  
 rei confirmationem expectare? At dices, confessionē  
 appellari non posse, quæ ab ore furentis profecta fue-  
 rit. Est iam, ut uideo, stabilitum & confirmatum hanc  
 esse, ut uocant, confessionem: restat, ut sensim eius uim,  
 potestatemq; declaremus. Age, quisnam fuit tam au-  
 dax interpres, qui legis tam perspicuæ sententiam tã  
 absurde in alios sensus detorsit? Ego sanè ir-  
 forensi confessionem appello, confessionē iudico quæ  
 lecuq; uerbum quod reus contra seipsum pronuntia-  
 uerit: nec ulla nos lege compellimur ad interpretan-  
 dum, quo potissimum impulsu qui accusatus est, cri-  
 mē coram iudice agnoscat, aut ulla ratione fateatur.  
 Quin potius ea mihi uidetur confessionis natura, eos-  
 rum inquam qui in ergastulo detinentur, ut Athamā-  
 te insanius uulgò iudicetur, qui iudici percontanti ue-  
 ra de seipso confiteri non timeat. Quid quæso meane  
 innocentiam exagitat istorum clamor? quid uolunt  
 isti qui adolescentis furorē uario uerborum lenocin-  
 nio iactant, ornant, exaggerant? Quotidie uidemus  
 ueritatem, aut uino & temulentia, aut errore, aut tan-  
 dem dolore & tormentis exculpi: ad extremum nullus  
 contra se dicit nisi aliquo cogente. Expectabant isti  
 acutuli & ingeniōsi detractores, ut reus intra priu-  
 tos parietes in hemicyclo sedens, nullis arbitris præ-  
 sentibus, nulloq; audiente, obruncatum à se patrem,  
 perspicua uoce fateretur? O rem lepidam, & post ho-  
 mines natos nūquam auditam. Ego certè in ea sum o-  
 pinione,

pinione, ut credam illum magistratum præclarè suo  
 muneri respondere, qui diligenter, citraq; ullum pra-  
 uum affectum, quæ leges, institutaq; maiorum præci-  
 piunt, absoluerit. Videbam eandem cantilenã ab ado-  
 lescente sæpe repetitam, tot oculatis & auritis testi-  
 bus confirmatam, quid aliud inde colligerem, nisi ado-  
 lescentem nefarij sceleris conscientia, ad eos clamo-  
 res incitari, & ut fingamus in alijs rebus furorẽ ad-  
 fuisse, hac certè iudicium laudabile apparet. ideoq;  
 in his quæ uideo totus sum, nec aliud quidpiam exqui-  
 ro, quo me culpa immunẽ & uacuum ostendã, quan-  
 do quidem reum crimen suum agnoscentem interfeci.  
 Verè enim mihi persuadeo, si quis iudex leui quadam  
 confessione concitatus aliquem in crucem tolleret, &  
 paulo post ueritas elucescens indigno supplicio homi-  
 nem affectum esse declararet, nullum fore, qui iudici  
 uitio uerteret, quòd tam seuerè in reũ animaduertis-  
 set, nimirum perpenderent omnes hunc iudicem, ne la-  
 tum quidem culmum à legis sententia discessisse, nulla  
 iura, institutaq; maiorum uiolasse. Cur ergo mihi ca-  
 lamitosum erit quod est cum lege, more, & religione  
 coniunctum? cur tam Vatiniano odio, tam hostili ani-  
 mo, tanta acerbitate in innocentiam meam inuehun-  
 tur? Dicent fortassè nullas adfuisse cõiecturas, ex quib;  
 bus liceat colligere hunc fuisse uerum parricidã: non  
 desunt argumenta, occurrunt coniecturæ, adsunt indi-  
 cia, & signa quæ ualeant fidem facere, si ut ego feci  
 prudenter & pedetentim, absq; ullo affectu uelit quis-  
 spiam rem omnem perpendere. Crimen hoc adeo

atrox est, ut omnium mortalium aures, uel sola commemoratione & memoria perturbet. ideoq; acutè & prudenter ueteres Romani parricidas insui uoluerunt in culeum, ut quos natura ipsa in officio retinere non posset, iñ magnitudine supplicij submoueretur, cõ iñiebat eos in flumen, quò rebus charioribus priuaretur, nempe coelo, terra, sole, & aqua. equum enim uidebatur, ut impuri rerum purissimarum aspectu, & uoluptate fraudarentur. Quidam iudicatus e. parricidam occidisse, ei statim, quò effugiendi potestas non fuit, lignæ soleæ in pedes inductæ sunt, os obuolutum est folliculo, & præligatum: deinde in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem coniectus in profluëtem deferretur, à lictore parabatur. Sed quorsum ipse exempla commemoro? nõne fatius erit ista silentio inuoluere, ne tam prodigiosa scelera inter homines aliquãdo fuisse dicantur? Ego sanè hũc parricidam esse, mihi persuadeo: neq; alijs innitor rationibus, quàm quò delirare cœperit. Veterũ namq; fabulis pro litum est memoriæ Orestem quendam furis per totum orbem agitatum fuisse, quò Clytemnestram matrem turpiter occidisset, ut nomina ementio ta sint, ut aliquid fabule fingant: ab aliquo tamen exẽplo ista experientia uenerit, factum esse aliquid necesse est, ut hoc credibile uideretur: siue istud Deus immortalis, qui non iudicio falli, non gratia circumueniri, non ignorantia decipi potest, constituit. Est autem persuasum hominibus, hoc esse caeleste flagellum, quo sceleres & nefarij affliguntur, ut tandem scelera

abdita hominibus patefiant: quò fit, ut in tam horrendo & immani facinore miraculum aliquod expectandum esse uideatur. Caueant autem qui ad hæc mala propensi sunt, ne aliqua spe celandi facinus adducti, aut tenebricoso loco permoti, in omne genus flagitij ruant. Quanquam enim scelus ipsum in abdita spelunca, in ferarum latibulis, in ipsius terræ uisceribus paratum fuerit, Deum tamen opt. max. qui ubiq; adest, omnia perspicit, testem fidelissimum consequimur. illic etiam adest conscientia malè affecta, quæ timorem & faciei pallorem peccanti conciliat. Nunc planè mihi uideor audire incondito eiulatu uociferantem senem. Nam quo tempore nefarius adolescens pugione diro paternum corpus, ut sic dicam, terebrabat: audiebat puer singultus & suspiria miselli senis, & horrendas uoces, quibus impium filium diris deuouebat, & Deum tam horrèdi facinoris ultorem exoptabat. sed celestus & per filium, tigride saucia crudelior, nõ cessauit paternum sanguinem effundere, donec infortunatus ille uetulus exirenum emittens spiritum, in fata concessit. Quem admodum autem fieri solet in huiusmodi calamitatibus, extrema & luctuosa oratio morientis senis, ut arbitror, fuit huiusmodi: Te nefande fili usq; ad extremum uite diem execrationibus persequar, nec te inultum sinam, pro gaudio & uoluptate, quam ex fortuna tua affines & propinqui expectabant, miserabile & horrendum exitium uidebant. quòd si mihi integrum fuerit ad hæc humanas sedes reuerti, factus umbra, aut spectrum, oculis tuis nocui, & interdici



Et interdum herere non cessabo. Post eius mortem se-  
 duto adolescentis animo, cogitatio quædam et memo-  
 ria admissi sceleris negotium facessere cœpit: unde fa-  
 ctum est, ut insania laborans rem aperuerit. Illi uerò  
 nequaquam falluntur, qui tanti mali ac furoris, qui  
 nouæ insaniæ causas in ipsius uisceribus, non in auto-  
 re aliquo externo collocarunt. nam uel ipsa conscien-  
 tia sine alterius ope, sola efficiet, ut perpetuus ignis an-  
 imum nostrum excruciet, et pectoris recessus ualida  
 dissona comburat. Prodeant, prodeant tandem, qui mi-  
 hi uerniciem et exitium parant, repetant priores il-  
 las querelas, et dolose fictam insaniã, et furore cor-  
 reptum dictitent, quando exclamabat: Ego te, mi pater,  
 interfeci. At ego ueriores amentiam fuisse cre-  
 do, quando opus istud nefarium peregit, quam quo tẽ-  
 pore à se peractum fuisse affirmavit. Equidem mihi  
 persuadeo, si furor iste ab aliquo morbo proficiscere-  
 tur, per sylvas et saltus ac nemora decurreret: at cum  
 semper magno clamore uocem eandem repetat in pla-  
 teis, in foro, in Magistratum uestibulo, quid aliud inde  
 colligere possumus, nisi dementiam istam, tanquam  
 supplicium cœlesti providentia inmissum, ut flagitiũ  
 atrox è tenebris in purgatum æra deductum mortali-  
 bus innotesceret? Animaduerte, Princeps serenissi-  
 me, constantiã huius insaniæ: uidebis eius effecta, eadẽ  
 perpetuo iterata, et repetita, et diuersis confirmata  
 temporibus. Quis ergo erit, qui solam insaniã, non  
 diuinum fuisse iudicium arbitretur? sed uideo maiest-  
 ratem tuam negotiorum mole uerius obrutam, quam  
 occupatam.

occupatam. quare dicendi finem faciam, quantumvis res nostrae afflictæ, & calamitas inaudita minime patientur. Emendabit autem tua clementia & humanitas singularis, quæcumq; uel à nobis temere pronuntiata fuerint, uel nostro sermone deesse uidebuntur: reuocans in mentem nostrum errorem, si modò error est, nequaquam ab ambitione, aut effrenata petulantia. sed potius ab incredibile studio bene & accurate tractandi res tuas, promanasse.

P R A E F A T I O I N S E-  
 Q U E N T E S D E C L A M A T I O N E S  
*Palmyreni, recitata à Vincentio  
 Nogueer Valentino.*

**R**erum bellicarum gloria non ætatis modò sua Imperatores uicisse. sed superiorum etiam quælibet adequasse Iulius Cæsar dicitur. & cum esset eloquentia quoq; illustris, ad cò excelso fuit & elato animo, ut de se interdum magnificentius, quàm uulgi aures possent omnino ferre, prædicaret. Sed inter multa arroganter pronuntiata, illud tamen summæ, & penè singularis humanitatis fuisse perhibetur: cum in bello Gallico milites suos sic animo paratos uideret, ut nullum pro sua laude periculum recusarent, summæ se iniquitatis condemnari debere dixit, nisi eorundem uitam sua laude chariorem habere demonstraret.

Quod

Quod animaduertens Laurentius Palmyrenus præceptor noster, ut tanti ducis uestigia sequeretur, totis viribus nostram salutem tueri ac defendere conatus est: nec ullis precibus flecti potuit, ut nos ad singulare certamen accedere pateretur, antequam firmata membra, citra salutis iacturam, possent aduersariorum ictus excipere. Reprehendebant permulti ipsius tarditatem, alij timidum, alij ignauum, desidem & obscurum appellabant: sed Fabium Maximum imitatus, non solum cunctando nostram restituit rem, sed etiam effecit, ut arrogantia æmulorum fracta sit, & eos plebs ipsa contemnat. Videbitis ergo, auditores clarissimi, singulare certamen inter duos declamatores, magna pertinacia, studioq; vincendi, certatim alterum altero grauius, atq; ornatiùs de re proposita dicentes. Vos oro, & obsecro, ut quemadmodum superioribus annis uestra in meo præceptore attentè audiendo benignitas prouexit orationem illius: sic hodie meorum condiscipulorum declamationes breuissimas attentissimis animis summa cum benignitate audiatis. Inter fragmenta declamationum Annaei Senecæ extat hoc argumentum: Rapta raptoris, aut mortem, aut indotatas nuptias petat. Vna nocte quidam rapuit duas: altera mortem optat raptoris, altera nuptias petit. Quoniam uerò Senecæ declamationes iniuria temporum perierunt, hi duo adolescentes conantur sua industria, quæ in Seneca desunt, nouis argumentis restituere. Etingimus autem puellas loquentes, ne declamator molestus sit, dum ait: inquit puella, inquit raptor.

quæ subinde repetita, auditorum aures obtundunt.  
Sed iam puellam primam loquentem audiamus.

DECLAMATIO PRIMA  
LAURENTII PALMY-  
reni, publicè recitata à Ioanne  
Escamilla Valentino.

1566.

**C**alamitatē Thebani populi iudices clarissimi. mul-  
tis ac gravibus malis oppressi, demonstraturus  
Sophocles, ostēdit fructus terræ abesse, solem aureum  
desiderari, animantiumq; foetus acerba morte periisse.  
Dicebat autē: Deos hominibus iratos, ob aliquod  
impiū facinus, hæc mala immittere, atq; improbitatē  
mortalium ulcisci, donec homines ipsos placarent, ac  
tandē scelus illud expiarēt. Si hoc assequutus est Eth-  
nicus. & à Christiana religione alienissimus, quā tur-  
pe erit nobis in re tam aperta cecutire? Videmus in  
grauescentem annonam tanta difficultate, ut iam plē-  
nè inopia ac fames, non caritas timenda esse videat-  
ur. Occurrunt morbi nunc urbem nostram, interdum  
regiones proximas infestantes: ad sunt etiam eluio-  
nes, pestilentia, vastitates, belluarum etiam repentinæ  
multitudines, quodq; magis horrendum est, pestifera  
& uenenata ulpera, ex Bosphoro Thraciæ Sarrace-  
nos suos ad evertendam Melitensem insulam, ad depo-  
pulanda

pulanda littora Hispanica, ad deprimendas nostras  
 triremes emisit. Quid quaeso hoc aliud declarat, nisi  
 Deum opt. max. nobis iratum, haec omnia permittere,  
 ut tandem tot malis agitati agnoscamus errorem, &  
 veniam supplices exquiramus. Aratus ille inter Poë-  
 tas Graecos insignis, cum argenteae aetatis mortales  
 alloqueretur, iustitiam fecit exprobrantem ijs, quod  
 tanto opere degenerassent à patribus, simulq; prædicē-  
 tem, fore, ut tamen perditiores etiam liberos gigne-  
 rent. Sic quoq; Venusinus uates ab auis deteriores es-  
 se profeminatos patres dixit, se demde editos nequio-  
 res patribus: ac liberos etiam corruptiores à se pro-  
 creatum iri. Videmus aperte quanta facta sit ad ho-  
 minum nequitiam accessio, cur incipientis mali origi-  
 nem non abscindimus? Prima (mibi credite) calamita-  
 tis nostrae causa est, pati ut nobiles ac Patricij impu-  
 ne, quos uelint, laedant: hinc profecto tanta tum aper-  
 ta, tum occulta nostrae Reip. uulnera, hinc nefariorū  
 ciuium perniciofa consilia, hinc inclusum malum inte-  
 stinum ac domesticū solet emanare. In uobis, iudices  
 equissimi, totius nostrae salutis cardo uersatur, à uo-  
 bis pacem, concordiam, & otium expectamus: uos no-  
 stra ciuitas solutos à cupiditatibus, liberos à delictis,  
 cautos in periculis, non timidos in contentionibus, &  
 esse, & fuisse iudicauit. Contemplamini quaeso Valen-  
 tinae nobilitatis interitum: fuerant, fuerant quondam  
 strenui Milesij, cum ciuium nostrorum industria do-  
 mi, forisq; fulgebat, cum erat honesta de omni uirtute  
 contentio, cum erat certamen, domi ne senes aequitas  
 te atq;

te atq; consilio, an foris iuuentus fortitudine ac fide  
 maiore rēpub. gereret: cū uidebamus seniores prae-  
 dere prouincijs, moderari populos: iuuenes uerò in  
 maximis rebus ac periculis regi adesse, certare qui  
 fortiozem nauare operam posset: adolescentulos à  
 primis annis meditari patrium decus, equitando, iac-  
 culando, semper aliquid agendo, quo ipsorum appa-  
 rere posset industria. Nunc misera, meo magno ma-  
 lo, haec omnia perijsse cognoui: placent enim nostris  
 nobilibus otium, atque mollicies, scorta habent in de-  
 licijs, desident isti in ganeis, alea in manibus est atq;  
 fritillus, turpissima quaeq; habent in pretio. Contem-  
 ptio est, cuius uxor, soror, filia, plaris ueneat: inter  
 hosce autem primas tenet Aleyonius adolescens con-  
 taminatus, perditus, flagitiosus, qui non modo animū  
 iuegrum, sed ne animam quidem puram conseruat.  
 Hic multa nocte profectus ad praedā, ut habet de mo-  
 re, puellas uirginali habitu atque uestitu, uirginali  
 uerecundia illustres exquirens: tandem furorem suū  
 in me miseram conuertit, & ut rem in pauca confe-  
 ram, nocte socia, hortante libidine, cogente uino, per  
 tegulas mearum aedium demissus est. Vos quæso date  
 hoc & concedite pudori meo, ut aliquam partem de  
 istius impudētia reticere possim: ego enim omnia prae-  
 seribo, quæ mihi turpia dicta uidebuntur, unusquisq;  
 uestrum tacita cogitatione perpendet quid sextus iste  
 Tarquinius cum noua Lucretia, armatus cum inere-  
 mi, ferox & truculentus cum imbelli timidāque  
 puella commiserit. Minerua patrem suum dicitur in-  
 termississe

teremisse uirginitatem suam uiolare conantem. Fe-  
 cissem id ipsum si facultas concessa, si uires data es-  
 sent. At his destituta ad uos accedo æquissimi iudi-  
 ces laboranti foeminae nuper puellae auxilium præbe-  
 re, semper meam pudicitiam credidi in hac urbe ue-  
 stris præsidys, custodijs, uigilijs esse munitam: ne pa-  
 tiamini, ut spe deiecta à uobis contempta in aliquo  
 ædium angulo contabescam. Magnum est, & atrox  
 facinus cum altera rapta litigare alterius ra-  
 ptoris auxilium exquirere. Vindicate patres, & date operam,  
 ut hodie uestrae disciplinae seueritas eluceat. Si hic  
 tacetis, si in hac re estis cunctabundi, ubinam gen-  
 tium sumus? quam Rempublicam habemus? in qua  
 urbe uiuimus? Binae puellae eadem nocte rapiuntur,  
 nimirum ut altera iniuria affecta pereat, altera rap-  
 ptoris patrocinijs suscipiat. Equidem hoc auda-  
 cter pronuntio, neminem tam stultum fore qui nō ui-  
 deat, neminem tam improbum qui non fateatur, hūc  
 raptorem nefario stupro uitam, quam iam amiserat  
 exquirere. Perierat profectò nisi bis perire meruisset.  
 Agnosco sanè hanc Reipub. pestem paubisper reprimi,  
 nō in perpetuum comprimì posse, quòd huiusmo-  
 di mulierculae istis stupratoribus tam impudenter o-  
 pem ferant: Age bipedum, uel potius quadrupedum  
 omnium nequissime? Si ego amissa pudicitia tanta  
 clade affecta, tanto uexata incommodo tacuissem: si  
 ista deinde, quae tuas expetit nuptias, suū dedecus non  
 luisset silentio inuoluerè, nunquā cessasses scelera sce-  
 leribus, stupra stupris accumulare, donec tuo furore,

audacia, latrocinijs urbem nostram incenderes? Sed adest infelix, & stolidamulier, quæ sibi stultè persuadet, se tuis nuptijs omni infamia, cura, metu, esse releuatam. At quemadmodum ægrotrantes cum æstu febrîq; iactantur, si aquam gelidam biberint, primò releuari uidentur, deinde multò grauius uehementiusq; afflictiuntur: sic malum hoc paulisper releuatum, his deinde succedentibus ingrauescet: nã & illam aut domi solam relinquet, aut stupris immersus uitam amittens, eam uiduitate ac solitudine conficiet, nec aliud quidpiam ab eo expectandum est, qui industria subsidia, atque instrumenta uirtutis in libidine audaciaq; consumpserit. At dicit inepta: ego patriæ strenuum militem fortem bellatorem, meis nuptijs conseruo: nam assuefactus frigore, & fame, & siti, ac uigilijs perferendis fortis, ab omnibus ciuibus prædicatur. Sit sanè fortis, habeat gladiatoriam in tractandis armis obeundisq; facinoribus audaciam, dum etiam & illi tribuas scenicam in omni libidine leuitatem. Nihil moror Philosophos istos qui libidinem ab armorum tractatione alienam esse dicunt: nam poëta Veneri Martem deditum esse scribunt, & sepe se in illius gremium reijcere, ut Lucretius, & Aristoteles secūdo de Republica confirmant, & Pausanias, libro tertio, Venerem armatam à Spartanis coli demonstrauit, Herculem quoq; bellicosissimū salacissimum fuisse ueteres historici tradiderunt: adeo, ut una nocte quinquaginta uirginum mellitam, ut ait Pindarus, herbam totonderit. Sunt profectò homines



nes bellicosi, & armorum studio addicti in Venerem  
 procliues, quod nostro magno malo didicimus qua-  
 re perpende accuratè, quid agas? nam dum illius vi-  
 tam conseruas, tibi ipsi malum paras, & uenenatum  
 colubrum in sinu foues, exquiret mox & alias uirgi-  
 nes quibus tibi luctuosam, & acerbam uitam compa-  
 rabit. At si tu contumax, & refractaria in eadem  
 perstas sententia, nihil tandem efficies, nam & pro  
 hoc tantum præstare potes, ut tua lege non pereat  
 contra alienam legem, nullum ius habes. Tu raptori  
 præstas, ut illum ipsa non occidas, non tamen potes  
 præstare, ne quis occidat. Quare uos oro iudices,  
 ut me desertam desolatam, & oppressam uestra an-  
 tiqua iustitia, & æquitate liberetis. Mulier quæ pudici-  
 tiam perdidit, ultra quid perdat non habet, acer-  
 bissimo dolore affecta sum, atrocissimam iniuriam  
 immanem calamitatem, nefarius miles inuexit. Iam  
 iam iudices, neque superest quid pro me dicam, neque  
 quid pro pudore amisso conquerar reliquum uideo.  
 Heu spes inanes puellarum quid ego nunc miserrimè  
 dicam matri, ubi me ab Alcyonio uiolatam, à uo-  
 bis neglectam agnoscet? Quid germano fratri lectis-  
 simo referam quoties identidem rogitando, suppli-  
 cij genus de Alcyonio sumptum exquiret. Quid respō-  
 debo matronis, quæ mea uicinitate gloriabatur? Res-  
 uisam ne penates meas? At illi meam lugēt infamiam  
 Reuertar ne ad ædes illas quibus testibus nunquam  
 satis laudatum pudicitiae candorem amisi? Scio quid  
 agam. Solitudinem queram, uitabo ciuium omnium  
 frequen-

frequentiam, foeminarum aspectum, omnium colloquia: solam inedia, uigilias, sollicitudines amplectemur: ut tandem hisce malis confectæ, ab eo seculo discedamus in quo pro uitæ honestate, pro uirtute adamata, dedecus & lachrymas, quæ nos loqui non sinunt, istius sicarij improbitate sumus consecutæ.

Dixi idibus Aprilis.

DECLAMATIO SUPERIORI respondens per Laurentium Palmyrenum. Recitata à Gaspare Noguere Valentino.



**A**Troci profectò & barbaro ingenio fuisse oportet Iud. clarissimi, illum qui non agnoscat, quod & ipsæ feræ immanes agnouerunt nempe uel in fortissimis hominibus imbecillitatem summam reperiri, deinde humanarum uirium non esse, rectum cursum perpetuò tenere: tandem habendos pro bonis uiris eos, non qui nunquam peccarent: sed qui sapias honestè agerent. Hæc si ista nefaria mulier ac uenefica contemplari uoluisset, si ab amicis admonita, altius animo reputasset: nequaquam ad istum modum insaniret. Peccasse sponsum meum non inficior: memini tamen singulari Persarum sapientia constia-

etiam heroicis temporibus fuisse, ut cum quis in iudicio argueretur aliquid fecisse contra leges, etiam si liquidò constaret, eum culpæ affinem esse, non tamen statim condemnaretur: sed prius diligentissimè vita illius perspecta, iniretur ratio plura ne turpiter, & flagitiosè, an bene laudabiliterq; gessisset. Hanc ipsam legem à uobis clarissimi iudices hodie seruari summopere cupio: ut ne statim sponsum meum condemnatis, at si ratione fideliter inita, maior errorum, quàm rerum præclarè gestarum numerus fuerit, tum, equidem, quin interficiatis non recuso. Vos iudices integros, seueros, summa religione in omnibus causis & esse, & fuisse nostra ciuitas perpetuò credidit, quandoquidem & suspicione certa mouemini, & inuidia, aut fauore, nihil unquam iudicatis. Ne quæso nunc uos moueant istius nefariæ mulieris fictæ lachrymule, quæ, tanquam canis in præsepi, ea quæ odio habet, alijs iucunda esse non patitur: & crudeliter admodum eripit mihi rem aurea solis luce chariorem. O mulierem crudelem, o feram immanem, o prodigium scythicum, ex ore scelus expumans, ex infimo pectore crudelitatem anhelans? dic ueneficæ? nondum es calamitate nostra satiata? Fingamus mortuū tua carnificina Alcyonium, iaceat cadauer cruentum, qua letitia, aut uoluptate afficeris tam pulchri, & decori corporis laceratione? nimirum ea, qua afficiebantur impudentes illæ, quæ calumniatæ sunt eos, à quibus spretæ ac repudiatæ erant: nempe Phædra, Hippodamia, Philonome, Antea, Hippolite, Fausta,

Constantini magni uxor, Timasionis Nouerca, & li-  
 teris sacris cognita, Phutipharis uxor. Ego iudices  
 semper illud probaui, semper tanquam oraculū pro-  
 batum omnibus cognoui: ut inter pares sententiæ  
 mitior, & quæ benigna magis appareat, uincat, &  
 alteri præponatur. recitet nobis ista Virginie Ro-  
 manæ, recitet Lucretiæ struprum, plures Sabinas re-  
 periet. O cœlum? ò superi? quis tam erit humani-  
 tate destitutus, qui laudabile & iustum esse credat,  
 hanc dignam uideri, in cuius honorem homo occida-  
 tur, me dignam non uideri, in cuius honorem homo  
 seruetur? Tu petis adolescentis pulcherrimi cruen-  
 tum cadauer, in quo immanitatē istam exerceas: ego  
 ut illius, qui sæpe huic ciuitati suis armis profuit, ui-  
 ta seruetur. Tu diligenter das operam, ut uida &  
 sterilis omninoq; Reipublicæ inutilis maneat. Ego uo-  
 tis ardentissimis exopto, ut Alcyonium maritū per  
 annos multos lecta contempler, & optimo ciui filios  
 pariam, quos ad ciuitatis nostræ utilitatem, possit  
 bonis, & literis & moribus ornare. Non negamus ue-  
 ra esse quæ de nobilibus nostri seculi pronunciaſti:  
 sed non inde sequitur talem esse nostrum Alcyonium.  
 Inſpexi sæpenumero rationem uitæ, quam aulici ſe-  
 quuntur: meros Phæacas, ſponſos Penelopes, nebu-  
 liones, & Alcynoos eſſe cognoui. Dormitur in me-  
 dios dies, ſtertitur indomitum quouſque phalernum  
 deſpumare, ut ille dixit, poſſint. Mox ad tentacu-  
 lum accedunt: quo uix per acto, iam interpeliat pran-  
 dium, ſub id alea, latrunculi, ſortes, ſcurræ, mo-  
 riones,

riones, scorta, lusus, inficetie. Interim una, aut alio  
 sera merenda, rursum cœna, post hanc repotia. Atque  
 que ad hunc modum, citra ullum vitæ tædium elabū-  
 tur, horæ, dies, menses, anni, secula &  
 omnia contemnunt. At quātumuis hæc uera sint, multi  
 si nobiles ab hoc vitæ genere alienissimi reperiun-  
 tur, multi rem bellicam tractant egregi, multi etiam  
 aulici rempublicam ab omni iniuria defendunt. Hi  
 furentes fini timorum populorum impetus sæpenu-  
 mo retardarūt, hi sanctum libertatis patrimoniū ad-  
 uersus nefarios hostiū conatus defenderunt, hi deniq;  
 pacis omnium uirtutum alumne grauiores uindices,  
 ac custodes extiterunt: & ab his uberiores perpetuo  
 atque illustriores, quam à plebeijs commodorum, &  
 gloriæ fructus ad uitam hominum permanarunt.  
 Sed miserum uulgus & mobile ingrato animo nobis  
 limum beneficia prosequitur: obliuioni tribuens quic-  
 quid accepit: inter omnes uerò qui suis armis aliquid  
 præsidij attulerunt, huic Reipublicæ fulget noster  
 Alcyonius. Ita enim bellicam disciplinam, & milis-  
 taria studia tenuit, ac pertractauit, ut qui Sarrace-  
 nos singulari quadam consilij atque animi præstan-  
 tia à uestro littore profligarit: idem ne in ipsa qui-  
 dem uictoria: qua nihil insolentius, esse atque super-  
 bius solet, aliud quidquam, nisi laudem, dignitatem,  
 & gloriam spectauerit unquam, atque secutus sit.  
 Neque uerò quæ quoque tempore ab eo uel fortitu-  
 dinis, uel prudentiæ, uel moderationis, uel iustitiæ  
 exempla edita sint, commemorare hoc loco necesse  
 est

est. Nota hæc nostrorum scriptorum historijs, testata ciuium uocibus adeò sunt omnia, ut facilius humani generis interitus uniuersus, ipsarumq; terrarum exustio consequi, quàm Alcyoniæ uirtutis obliuio, atque silentium posse uideatur. Illud autem illustre in primis, & ad perpetuam hominum memoriam insigne non prætermittam, eam fuisse perpetuò Alcyonij in re bellica fortitudinem, in ut hodiernum usque diem, non modo Valentia, sed, quod mirabile uideatur, extrema ferè terrarum sola, & nationes ultimæ eius res gestas admirentur. Dic tandem uenefica? quando audiuisti belli tempore uisum esse in epulis, lusu, aut compitis, Alcyonium? inter bombardarum tonitrua currebat sedulus, nec tubarum clangorem, nec armorum strepitum, nec hostium concursum, aut taratantaræ cantum perhorrescens. Quid ergo dicens inepta? Cur libidinosum uocas? Profecto nisi suum iuuenilem errorem agnouisset, nisi te seuam, & truculentam intellexisset, nequaquam secundum stuprum tentasset, uerebatur ne tua ista arrogantiæ barbarica, immanitate scythica, nuptias fastidians extremum sibi iuxta huius Reipublice. legem parares interitum: ab ipsa lege remedium præsens exquisiuit. Nostis, nostis iudices prudentiam in iuuenilem ætatem non cadere: & sine prudentia earum quæ in agendo cernuntur uirtutum, nullam consistere. Adolescens hic sæpe tentabatur uehementissimis cupiditatibus incitantibus, atque extimulantibus eum ad carpendas omnis generis uoluptates,

euctus tandem ac deprehensus, erubuit. unde colligo  
 iam eum hominem sermones timentem, meo coniu-  
 gio effecturum, ut non leuis aut inconstans, sed gra-  
 uitate & constantia insignis, non libidinosus & per-  
 ditis moribus, sed modestus & frugi unicuique ue-  
 strum sequenti tempore uideatur. Quare uos oro  
 iudices, ut oculos istos misericordia & clementia  
 commotos, ad hanc misellam uiduam conuertatis.  
 reuocite mulierem istam, quam omnes foeminae, om-  
 nes uiri odio prosequuntur, cui omnes pestem exor-  
 ptant, quam bipedes omnes execrantur. Ista ut per  
 uos iniurias suas ulciscatur, laborat: ego ut mari-  
 tum meum uestra benignitate conseruem, enitor. al-  
 liciat uos ad misericordiam afflictæ innocentis mu-  
 lierculae fortuna. Vos mites, & mansueti perpetuam  
 oppressis perfugium spes, & portus extitistis: uestra  
 pristina bonitas ciues fractos calamitate excepit,  
 confidentes rebus suis confirmauit, afflictos erexit,  
 periculososq; recreauit. Videtis meam pudicitiam a-  
 missam, decus exhaustum, honorem direptum, uir-  
 ginitatem illusam, coniugium omne exterminatum,  
 & si quid boni sperabam exinanitum omnino, in so-  
 la uero equitate uestra sacram mihi anchoram colo-  
 locari. adeste iam, fauete miseræ, opem ferte lan-  
 guenti: nam confirmo me in Alcyonio marito hoc  
 esse perfecturam, ut & aduersaria mea, et omnes qui  
 honori inuiderunt meo, tamen uos uniuersos in hac  
 controversia cõponenda plurimum uidisse fateantur.

D I X I.

Fragmen


# Fragmenta ali-

## QUOT EX COMOED-

dy s Palmyreni, quibus Lector mole-  
 starum præceptionum rædium discu-  
 riet: dum autor ipse eas emendat, &  
 seorsum in lucem edendas curat: in-  
 terim adolescens studiosus exēpla in-  
 ventionis & elocutionis vrbani-  
 tate, & sale comicorum  
 ornata lectitabit.



CRE quoddam desiderium  
 studiosos omnes tenet, Pa-  
 tres Iurati, auditores clarissi-  
 mi ornandi patriam, locaq;  
 in quibus nati sint appellan-  
 di. Meam patriam & matrē  
 academiam hanc inclytam  
 agnosco, uos parētes, & me-  
 cœnates meos in omnibus  
 expertus sum: hæc omnia ornare si possem, tanto stu-  
 dio tantaq; contentione aggrederer, ut nullo labore  
 nullaq;





nullaq; molestia deterritus recusarem in hac laude  
 & gloria consensescere. Verum ubi in mentem mihi  
 ueniunt ornamenta præclara, quibus uos uestram il-  
 lustratis academiam, & tenuitatem meam conten-  
 plor, tunc demum ab incepto opere desisto: sic enira  
 colligo. Gymnasium hoc melius me posse facere non  
 uideo, deterius nollem: nihil ergo est quod aut me  
 ostentem, aut inani labore conficiã. Sed deinceps alia  
 cogitatio mihi animos facit, cogito enim necessariũ  
 esse, ut qui tot beneficijs affectus sum, aliquod grati  
 animi argumentum ostendam: adfero uobis perbre-  
 uem comœdiam, si modo tanto nomine & inscriptio-  
 ne dignas nugas nostras iudicatis: ex ea potestis uo-  
 luntatem meam reponendæ gratiæ cupidam agnosce-  
 re. Plura præberem si possem, sed qui aurum & he-  
 catombas præbere non potest, thure & farre litare  
 consuevit. Accusabunt permulti nos, quòd ad hæc  
 puerilia descēdamus, & fabulis milesijs uaniora tra-  
 ctemus, sed isti perpendant res grauiores à multis in  
 hac academia fœlicissimè tractari ita ut nostrum stu-  
 dium & operam non desiderent. Quamobrem cum  
 ignari non possint, docti tenuè hoc & inglorium o-  
 pus contemnant, sinant nos quacunq; possumus ratio-  
 ne, amicis gratificari, pueris prodesse, eorumq; stu-  
 dia præmouere. Ex hac enim exercitatione commo-  
 da non pauca, ut uideo, emanant: pueri namq; memo-  
 riã exercent, à lusu reuocantur, actionem emēdant, &  
 apud uos rusticanum pudorem amittunt: & phrasas  
 quas in orationibus. M. Tullij me prælegente obser-  
 uarunt,

Comœdia-  
 rum uti-  
 litas.


uarū nostra, imitatione in mentē tanquā aliud agētes  
 reuocant. Quare si Fabius Max. utilitati publicæ rus  
 mores hominū non prætulit, & cūctatoris nomen nō  
 repudiavit: dum modo cunctatio illa patriæ prodes-  
 set, cur ipse publicam utilitatem exquirens, priuati  
 nominis mei iacturā, obirectatorum insulsa scōmata  
 perhorresco? Adfero uobis Octauia comediam in qua  
 sicuti varū seruatæ comicorū leges agnosceris, hoc  
 uel seculo nostro uel alicuius probati scriptoris sen-  
 tentiæ tribuite: oratione soluta usi sumus, tum quod  
 Terent. libertate illa qua carmina sua confecit, magis  
 prosam seu prorsam in comœdia, quā uersum pro-  
 bare uideatur: tum etiam quod olim Crates primus  
 Athenis dempto metro comœdiam in soluta ostendit  
 oratione. Quod ergo olim Crates, et nostra ætate ple-  
 riq; faciūt, id etiā nobis non integrū erit efficere? Hi-  
 spanice quibusdā locis inuitus loquor, habenda enim  
 ratio fuit imperitiæ multitudinis cui oportebat, argu-  
 mentum prius explicari, atq; hæc unica fuit causa, ut  
 laudatum Terentiū morem sequi non possem: solet ille  
 in prima scena argumentū enarrare, ego ne bis idem  
 efficerem, ad parecbasim orationē conuertit: personas  
 permultas loquentes facio, ut per multi discipuli no-  
 stri dysopiam amittant sediam. &c.

Finis præfationis in Comœdiam Octauiam.

✠ Palmyreni præfatio in suam Co-  
 mœdiam Lobeniam que acta est in Academia  
 Valentina idibus Ianuarijs. 1566.

Caliope

Cur prosa  
 oratione  
 in comœ-  
 dijs utat-  
 tur.



CALLIOPE, MELPOMENE, CLI O, AM  
PHION, FAMA. RVMOR, FAMA.

**C**ALL. Vides ne Melpomene charissima, uera esse quæ dixi? Video sanè, & tuam prudentiã admiror: nam profectò falsa multorum animos occupauit opinio, Poëtas nobiles in solo Parnasso, aut Helicone consenescere: uideo enim agrum Valentini, & cœlum hoc adeò benignum, Poëtas omni laude cumulat, omnibusq; suis partibus absolutos, & perfectos effundere. **CLIO.** Sic est: ideoq; uereor, ne laureas desideres, si Valentinos Poëtas eodem modo ornare uolueris, quo Lusitanos, & Bethicos exornasti.

*Verfus ex  
Luio An  
dronico.*

**CALL.** Mea puera, quid uerbi ex tuo ore profluit? magnum quoddam opus est, atq; haud sciam, an de humanis operibus longè maximum, Poëtas celebres debita laurea insignire. quantumuis enim hæc regio multos habeat Poëtas, non tamen omnes erunt laurea decorandi: quare deinceps caue ne quidpiam sine aliqua probabili coniectura ac ratione dicas. Habeo copiosam laurum, unde corollas, quas desideras, educemus. **MEL.** Amabo mea Calliope, contemplemur paulisper amenitatem huius loci: ausculta dulcissimum susurrũ, quem aqua nitidissima efficit ad uersicolores lapillos molliter fracta & allisa: admiror flosculorum ambrosios odores exhalantium suauitatem, & laudare satis nõ possum innumerabilem uim ac copiam auicularũ, quæ perpetuò liquidissimos cantus tenui gutture fundit an-

ditantes, intimos audientium sensus incredibili uoluptate permulcent. CALLIO P. Sunt isthæc uera ut dicit Melpomene: sed illud mihi stuporem summum parit, cum in alijs regionibus sint admodum maturæ hyemes, & nubes densissimæ, cummerias tenebras illis inducant: hic tamen uidemus nunquam non nitere cœlum, frödere arbores, pubescere herbas, ridere omnia, spirare assidue mollissimos fauonios, quorû flabellis arborum commæ leniter uentilata, placidissimo murmure auribus blandiantur. CLIO. Creditis mihi obturatas esse aures, aut lippiètes oculos? audio & ipsa zephyrorum uiridantibus arborum ramis illudentium sibilû, uolucrum concentû, blandum murmurantium riuulorum strepitum. Utinam Amphionis, aut Orphei lyram haberemus? quò possent mentes nostræ indefinèter hilarari: hic possemus choreas agere, aut psallere, aut corollas texere, aut in herbis fise, qua telus tremulis laurorum ac myrthorum opacatur umbraculis, iucundissimos sermones conferere. CALLI. Ego Amphionem uel inuitum adducam, tacete, recitabo carmina quædam Magica: festmo, baroco, danrapti, fapesmo, frisesomorum, purpurea, amabimus edentuli, Syrinx, menix, iapixq; lelexq; AMPHION.

Emissus tenebris, carieq; solutus, ad auras

Profiliens uultu iam meliore nites.

Felici excipiet plausu te docta iuuentus,

Censebit maius commodiusue nihil.

Calio. Vidistis furentem Amphionem, & meis carminibus ab inferis reuocatum? Secum ipse loquitur:

credite

*Hic desideratur cætilena Hispanica.* credit enim iam apertum esse sibi carcerem in longa secula. Cantillemus paulisper. CLI. non recuso.

FAMA. Cedite Romani Scriptores, cedite Graij, nescio, quid maius nascitur Yliade.

CAL. Perpenditis ne, quantâ sibi facit in populo audientiam? nunquam uidi turgidiores buccas, num fermento tantum uescitur? Dij boni quos clamores? Sed compellemus: Heus, heus, quis tu? FAM. Ego sum, iam ma omnibus nota, hic uerò fraterculus meus Numor. CLI. Obsecro hilaritatis ac lætitiæ istius tam nouæ, rationem explica. FAM. Nunc planè triumphandum nobis est, habet iam Valentia Poëtas, quales heroicis temporibus floruisse legimus. MEL. Tace insana? Quis potes tu de diuinis uatibus iudicium ferre? credis ne, quod præcepta teneant, iam Poëtas esse? Boni Poëtae natura tantum ualent: arte si qui se Poëtarum nomen tueri posse confidunt, eos grauissimus auctor Plato pronunciat, nihil unquã egregium ac memorabile flecturos. Itaque Pindarus eo se gloriatur aduersarijs suis Bacchilide nimirum & Simonide esse superiorem: quòd ipse natura Poëta sit, illi autem didicerint à magistris: in quo tantum esse uult, ut eo potissimum nomine se aquile, illos coruorum similes esse dicat. Natura Valentinos Poëtas esse, non præceptis tantum confirmo. Sed age conuerte oculos ad ripam formosi Thuria uides æquitantes? ille qui præit, est nobilissimus Hieronymus Falconu, qui poëma facit, ita festiuum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit

possit argutus. Hunc uerè poëtam neq; imitator ens  
tantum appello: sed excellentem, mente concitatum, ac  
penè diuinum: uerbis non semper utentem usitatis, &  
popularibus, & de medio sumptis, sed interdum &  
quidem sæpius nouatis, priscis, longè arcessitis: res  
magnas, res admirabiles, res abstrusas, ac reconditas  
in lucem proferentem: ijs est cui ingenium, mens diui-  
nior, atq; os magna sonaturū, ut dixit Flaccus qualis  
duas, . . . ies & comites: Nam eum sequuntur clarissimi  
nèpe Oliuerius Iurisconsultus, Antonius dela Iardina  
à secretis Pontificis Valentini, & alij quos si debito ti-  
tulo uelim insignire eloquēiam Tullianam desiderē.  
Quoniam uel philosophiam, uel artem medicam sum-  
ma cum dignitate tractant, Andreas Semperius, Fer-  
dinandus Bonauida, Aegidius Polus, Vincentius Va-  
dillo, & nobiles illi Rebolledo, & Romani, Leon, Ar-  
tieda, Serranus, Xuarez, Ardeuol, Sancius, Almude-  
nar, Tapia, Spinosa, & nostræ Academiæ lumina,  
Ioannes Oliuerius, & Iacobus Romanus. CLIO.  
Quis nam est ille, qui testudineo gradu doctissimos  
poëtas insequitur fortasse rogatu alicuius optimi  
poëtæ emissus ē carcere est: nam qui in compedibus  
corporis semper fuerūt, etiam quū soluti sunt tardius  
ingrediuntur. F. Responde tu nam istius res gestæ  
nequaquam fama celebrantur. CALL. Tu quod no-  
strum nomen ignoras, iussa nostra contemnis nos su-  
mus tres musæ laureas & palmam uestris poetis eras  
summa uoluptate proponemus. F. Teneo, sed qui po-  
terit natare aquila, ego sum fama, iste est rumore

rauco, ac planè tristi cognitus. R. Dicam ipse Palamyrenus est. CALL. Quid narras? perseverat adhuc Arabius tibicen. R. Vt uideo. CALL. Cur mœstus ac sordidatus maxima barba & capillo ingreditur? R. In longum sermonem, & Homericam Iliadem proluxiorè me uocas. CALL. Poteris tu breuiter summamq; describere? R. In schola maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solet, & pallio, ut quidam arbitrantur: hoc nō aliūde emanat, nisi ex timore, quo auctus fuit, cum uidit sibi certamen futurum cum illis, quos Senatus noster contra classicios uocauit. At mihi non fit uerisimilè noui hominis audaciam, uix unquam in hunc cadunt formido, & timiditas, uix metus, pavor, & ignauia, causam ueram credo reprehensores esse, quibus huius comœdiæ non probatur. CALL. Cur eos nō interficit? R. Huius, ut omnes ciues interficiat? CALL. Væ illi, qui sibi urbem omnem animis infestam inimicamq; cognouit. R. Quanto satius esset longum uale dicere cōpositioni comœdiarum, quando quidem ab omnibus exploditur. CALL. Mane, audiamus interim quonam modo causam suā defendit. AVT. Nihil me clamor iste commouet, sed consolatur: nunquam, mihi credite, Valentini Patres me primæ classi præfecissent, si uestro clamore perturbatum iri arbitrantur. R. Heus non audis, uocaris à Calliope? AVT. Salue Calliope. CALL. Saluus sis, cur Poëtas supplex & sordidatus sequeris, petisne lauream? AVT. Absit tantus error, nec tali dignamur honore, sed ab illis peto, ut solita liberalitate mihi concedant fragmenta

Dicimus  
Hispanico  
esset mas  
largo que  
esperança  
de Corte-  
sano.

poëtica à bonis Poëtis neglecta, colligere: quibus meos  
 discipulos diebus nataliq; seruatoris nostri sacris au-  
 uocare à taxillis, alea, & iriuillo possum. CAL. Laudo  
 scopum, istam enim poëticam nullus sanè mentis re-  
 prehendet. AVT. Id etiam facio, ut mei auditores ru-  
 sticatum pudorem amittant, & actionem, & motum  
 corporis coram hoc nobili congressu exercent. R.  
 Señora, áigali q̄ perque entes comedies parla en pla-  
 yo erech que perque lo pla es millor pera rebolcar.  
 AVT. Tace malū ego nec rumores, nec susurrations  
 perhorresco. Semper enim in ipsa uirtute & recte  
 fractis satis laudis inesse iudicavi, etiam si multitudo  
 non laudaret: mihi conscius sum, me discipulis meis &  
 prodesse, & cōsulere uoluisse. Si nō fui par uoluntati  
 facultas, non arrogantiæ, aut confidentiæ, sed tarditatis  
 aut infirmitatis crimen suscipere debeo. Poëtis hoc  
 maxime propositum esse debet, ut lectorem reddant  
 meliorem: secundo loco, ut delectent: eos imitari uo-  
 lumus. CAL. At cur hoc Hispanicè? AVT. Philosophus  
 quidam dixerat, fieri posse, ut homo quispiam mare  
 ebiberet, cum autē omnem uideret turbā concurrisse  
 ad spectaculum, exclamauit, amici coercete fluuios ut  
 mare prorūpentes, ego solam aquam marinam ebibā:  
 factu ad eundē modū, ut Valentini ciues, qui Latinū  
 sermonē non tenent, discedant: ego tūc Hispanicè non  
 agā. CALL. Inurbanum esset eos à Theatro rejicere.  
 AVT. Nonne etiam rusticatum fore iudicas, ubi est  
 presentibus, quo aures oblectent, proponere? CALL.  
 Sic est. AVT. Sit ergo nobis integrum, cum bona tua  
 uenia, comediam Lobeniam, &c. F ij Frag

Redde  
 caus. ut  
 aliquando  
 in com-  
 dijs Hispa-  
 nicè loqua-  
 tur.



## FRAGMENTUM

LIBRI QUI INSCRIBITUR

Lexicon nauticum, &amp; aquatile.



Vperioribus annis, cum in  
 terpretarer publicè cōmentā  
 rios Cæsaris, & libro tertio  
 anchoras, transtra, & r...  
 Gallorū describerē: pollicitus  
 sum Lexicō nauticū, & aqua-  
 tile, confeceram iam bonam  
 operis partem, sed fit nonnunquam, ut malevoli bo-  
 narum rerum alatores messem adhuc in herba con-  
 sumant. Non est mihi integrum apertius loqui: hoc  
 unum addo: rem me invito in aliud tempus differri.  
 Interim, ne discipuli quotidie efflagitātes molesti esse  
 pergant, summa capita futuri laboris proponemus.  
 Hoc unum à benigno lectore petentes, ut si quidpiam  
 perperam explicatum in his uiderit, taceat donec  
 informem partem ursæ lambēdo possimus illustrare.

## Capita præcipua.

- Vocabula locorum aquatiliū
- Partes nauis & suppellex nauticæ
- Nauium genera & formæ
- Verba nautica
- Formulae loquendi & phrasæ nauticæ
- Metaphoræ selectæ nauticæ
- Adagia nautica
- Sententiæ nauticæ

Apologi nautici.

Similitudines nauticae.

Apophthegmata nautica.

Hieroglyphica nautica, & nomismata.

Emblemata nautica.

Pericula, procellae.

Venti.

Problemata nautica.

Præjagia nauigandi.

Prælium nauale.

Piscandi uocabula.

Piscandi methodus.

Pisces diuersi.

Abditæ quaedam & arcana nautica.

Ex hisce unum, aut alterum caput apponam, reliqua  
suo tempore expectato.

Fluuus, amnis, mare, fretum, isthmus, sinus, lacus,  
stagnū, palus, portus, statio, aperitū mare, puteus, fons,  
cisterna, torrēs, tubus, euripus, aquæ ductus, aquarius,  
aquatilis, aquaria prouincia, aquam ducere per fun-  
dum alterius, frigidam suffundere, aqua & igni in-  
terdicere, aspersiti aquā, aquam cribro haurire. Hæc  
& alia sexcenta Hispanicè explicantur, mox sequuntur  
littus, rippa, glareæ, arena, mare oceanus, mediterræ-  
neum, Balearicum mare, superum inferum, marini &  
maritimi, æstus, insula, peninsula, chersonesus, contin-  
ens, promontorium, pons, &c.

Ventorum nomina quaedam quibus reliqua mox  
addentur.

F iij

EUTUS,

Eurus, uulturnus,	Syroco, sudoeste
Subolanus a peliotes	Leste, leuante
Auster notus	Sur norduest, maestral
Africus lybs	Lebeche
Fauonius zephyrus	Oeste, poniente
Corus argestes	Norte, tramontana
Aquilo boreas	Gregal
Aparctias	

*Navium nomina et differentie.*

- Navis pretoria, la capitana.  
 Naucula, una gondola.  
 Naucula traictoria, Bergantinet, aliter celox.  
 Lembus un laud, cymba caupillus.  
 Navis frumentaria una hurca, aliter holcas.  
 Palearum navis, barca de traher paja, Cicero.  
 Ratis carbonaria, de traher carbon.  
 Navis myriophoros, que cabe diez mil salmas.  
 Triremis, galera de tres remos por banco.  
 Navis Britannica, la carraca.  
 Navis monocrota, una fragata.  
 Navis liburnica, fusta ligera.  
 Pistris, galera sutil, aliter, pristis.  
 Epholcion, uel actuariolũ ministratoriũ, vn esquife.  
 Sceuophorus, cornamusa.  
 Navis oneraria, naue de carga, o mercaderes.  
 Geraria, uel grauis, naue gruesa.  
 Corõita, galeaça.  
 Gaulus, en Vizcaya llaman latina.  
 Navis exploratoria, espiõ para atalayar catafopiũ.  
 Hippan

- Hippagines, naues para llevar cauallos.  
 Scapha, batel, halias.  
 Epactis, carabus acatus, carabela.  
 Aulona nauis, el bucentauro Italicè.  
 Barca, uocatur ab Herodoto, nuestra barca.  
 Byrsopages, nauio cubierto de cuero.  
 Constrata nauis, uel cataphracta, cubierta por los  
 lados para pelear.  
 Canoa, canoa.  
 Cantharus, chalcembolon, catâplus, capulica, caudis-  
 caria, chollones, uel chellones, cybæa, horia, Iulopeza  
 lamia, cercurus, galeon, Marplacida paralus.  
 Dicrora, & biremes hemiolia.  
 Dromones, sagetias.  
 Hiberiota, naue luenga y estrecha.  
 Lintres.  
 Myoparones, naues ligeras de Cossarios Piratrica.  
 Ocyalus, corredora.  
 Orthocrerus, que lleva las antenas derechas.  
 Pentecotorus, de cinquenta remadores.  
 Phaselus.  
 Philacides, de conserua.  
 Pontones.  
 Proplus & actuaria, idem, naue de passaje, o que lleva  
 a remo.  
 Ratis & schedia.  
 Remeculus apud Gellium.  
 Rostrata, naues de guerra fornecidas para encõtrar  
 Samena, Salaminia flatum, Synedria strongylon,  
 E iij Theoris.

Theoris, Trieris, Tabrica, Trampis, Tiphys, Vagiones.

Thalamegus, naue Real.

Naues piscatorie, barcas de pescar.

Partes nauis, instrumenta & Ornamenta, quibus addentur icones nauium, ut sequentes characteres intelligantur.

- A** Corbis, la gabia.
- B** Cornua, los cabos de las antenas.
- C** Antenna, los palos donde atan las uelas.
- D** Malus, mastel, o arbol de la naue.
- E** Charchesium, la parte mas alta del mastel.
- F** Trachelus, el medio del mastel.
- G** Pterna, la parte mas baxa del mastel.
- H** Opiferi funes, las cuerdas para torcer las antenas quando queremos q̄ las uelas recibã mejor el viëto.
- I** Calos, escalera de cuerda para subir à la gabia.
- K** Rudentes, funes, restes, toda manera de cuerdas, o maromas.
- L** Parasemon, la dexisa que ua en la proa para que la naue sea conosciada, solia esta antiguamente ser un rostro de dama, como la diosa Isis, o un carnero, o ansaron.
- M** Puppis, la popa postrema parte de la naue.
- N** Turres. In secūda imagine. In tertia.
- O** Proa. A Anserculus. A Gubernator.
- P** Oculus. B Anchoralia. B Nauta.
- Q** Rostrum. C Anchora. C Proreta.
- R** Rostrū tridēs. D Fori, hedolia. D Acroteria.
- E Gubernaculum, E Thronus.
- Temo. S Epon

**S** Epotides, las partes de la proa que abraçan el rostro como a orejas.

**T** Catastromata, la tilla, o cubierta de la naue.

**V** Remi, los remos.

**X** Carina, uel alueus, la carena viente de la naue.

**Y** Cumba, uel dryochos, el suelo, o fundamento de la naue.

**Z** Clauus, el timon del gouernalle  
ue la naue. In quarta.  
A Thranos.

Et gubernaculũ, gouernalle de la naue. B Zygos

Latera, los lados de la naue. C Thalamas.

Scalmus, el madero adõde se atan los  
remos para nauegar mas seguro. D Vexillum.

Interthalmium, el espacio entre dos cheuilles.

Statumina, son como castillos en la naue.

Sentina, el suelo mas baxo, donde se recojen todas las  
aguas corruptas.

Fori, la tablazon, junto a los lados donde passean los  
de la naue.

Embola, orum, rostros, o garfios apegados a la proa  
para alçar las cargas.

Prora, primera parte, o delantera de la naue, donde  
el piloto va sentado, clauo regens nauigum, el fin,  
o cabo de la proa a semejaça de pico de ave, se dize  
rostrum.

Stega, lugar cubierto en la naue, o tablado.

Agea, el callejon por dũde va el comito amonestado,  
o animando los remadores.

Trãstra, los bãcos dõde estã sentados los remadores.

F v Zygos

**Zygodesma**, son las partes que ajuntan el jugo con el timon.

**Hektor**, el clauo donde se embueluen, o atan.

**Columbaria**, lugares concauos cabe los lados.

**Echetlion**, lugar dōde guardan o cōseruan el pescado en la naue, tomase tambien por barca cubierta cō muchos agujeros, donde guardan el pescado biuo.

**Ansa**, palo largo del gouernalle, con el qual el timon buelue y rebuelue la naue.

**Enclima**, donde esta sentado el piloto.

**Acrostolion**, tabla derecha en la popa, o proa, dōde solian escriuir el nōbre de la naue, otros dizen que es la parte postrera de la naue.

**Maschala**, machina para sacar, o poner las cargas en la naue.

**Cytos**, pavimentum nauis.

**Thalamia**, el agujero por donde sale el remo.

**Traphix nauis labrum in quo pedes ponimus**, significat etiā tabulam qua panes in clibanū deferuntur.

**Aphlastum**.

**Casteria**, donde guardan los remos.

**Chalcembolus areum**, nauis rostrum.

**Aendæus**, la ventanilla para que corra el agua.

**Protoma**, figura de algū animal en el cabo del rostro de la naue, aun que mas propriamente se llama para semon: assi S. Lucas en los Actos de los Apostoles, hablando de la naue Alexandrina en que S. Pablo fue à Roma, dize ἐν πλοίῳ ἀλεξανδρινῷ παρασίμῳ δισκοῖς, id est in navi Alexandrina, que in insula

byemata

**Hyemauerat**, cui erat in signe Castorum, en la naue de Alexandria, la qual hauia hibernado en la isla, y tenia por parasemon, o deuifa, la imagen de Castor, y Pollux.

**Chenisus**, madero en la popa, o proa, adonde se cuela gā las anchoras. Sic lib. 11. Apuleij puppis intorta chenisco, non cerucho, ut quidam uolunt, nec est nauis, ut uult Cælius Rhodiginus.

**Anchora:**

**Sacra anchora**, es la que los marimeros tienen guardada, y no la sacan sin grande necesidad.

**Anchoralia**, las cuerdas de la anchora.

**Tonsilla**, estaca para atar la naue en la ribera.

**Bolis**, escādal, plomo colgado en vn hilo para prouar la hondura.

**Pyrguchi.**

**Portisculus**, los maderos que sustentauan los torrejos nes de la popa y proa.

**Stathmides**, los maderos sobre los quales.

**Aspicula**, uel sanides.

**Palanges**, uel phalanges, madero sobre los quales arastrando lleuamos la naue al agua.

**Aergata**, machinas para tirar a fuera.

**Apobathra**, escaleras para baxar de la naue a la barca, o a tierra.

**Hermata**, maderos debaxo la naue para que no se pozdrezca quando esta en tierra.

**Versoria**, instrumento para ver que viento corre.

**Molorchū**, o molorthū, lo que arriba llamamos bolis

H. r. =



- Harpagones, corui, manus ferrea, garfios para asir,  
o afferrar las naues al tiempo de la batalla.
- Palma, palmula, los remos, poëticum est.
- Contus, piertega luenga con hierro al cabo para ver  
el asiento si es bueno para la naue.
- Trudes, piertegas para empuxar la naue,
- Enchiridion, manubriũ, capulus, la primera parte del  
remo.
- Vracus, la parte media del remo.
- Tarsus, ptera, palmula, el cabo del remo:
- Velum, la vela.
- Acatium, vela major en medio de la naue.
- Epidromos, vela mediana, trasera junto a la popa.
- Dolo, onis, pequeña atada a la proa, el triquete.
- Artemon, vela para endereçar la naue en tormenta,  
attandola alas mayores: engañase Alciato, dizien-  
do ser vela major.
- Suppara, son generos de velas para quãdo comienza  
de affoxar el viento.
- Mansarium, uel mendicũ, la vela que llaman cochina.
- Carbasus, la vela, poëticum est.
- Pes, la cuerda cõ que atã la vela a la parte mas baxa,  
es tambien angulo de la vela.
- Hypera. Saphones. Remulcus.
- Pesmata. Helcyon. Hippagos.
- Epitonus. Mitra. Anquima. cuerdas diuersas.
- Protonus. Terthron.
- Spira, bueltas, o corbaduras de las cuerdas:
- Ora, oras, la maroma con que esta la naue atada a la  
ribera,

vibera pero no se puede probar con buenos autores, porque en Tito Livio oras præcidunt, se ha de emendar, lora præcidunt, y dõde Quintiliano dize, oram soluētibus, se ha de interpretar, oram, id est, à littore, ut ait Cicero portum soluentibus.

**Saburra**, cierta arena gruesa, y ruyn para cargar la naue que vaya mas firme.

**Sabulum**.

**Apustria**, todo genero de ornamento de naues.

**Amphimetria**. **Diphtheræ**. **Cilicia**.

**Segestria**. **Ascoma**. **Phormion**.

**Magnes**, & **chalybs**, la piedra, y man, y la aguja para nauegar.

**Pyxis**, uel **pyxidicula magnetis**, la bruxola, cõ la qual puesta en vna tabla, donde esta pintado el mundo, facilmẽte conoscien quanto han nauegado, o se han alexado del norte.

**Nauegus**, barquero que haze barcas, o naues.

**Nauta**, el marmero.

**Gubernator**.

**Proreta**, el que va sentado en la proa para gouernar

**Remiges**, los galiotes.

**Socij nauales**, la churma.

**Thalamitæ remiges**, los que van junto a la proa.

**Zygitiæ**, en medio.

**Thranitæ**, junto a la popa.

**Nauarchus**, capitan de la armada, o flota.

**Nauclerius**, el patron.

**Pirata** & **prædones**, **coffarios**.



**Navicularius, & nauclerus, el piloto.**

**Nauticus panis, vizcocho.**

**Nautepibata, el que en paga del passage sirve como  
marinero.**

**Naulum, el nolito, o flete de la naue.**

**Nausea, el vomito que padescen los que se marean.**

**Vectores, los pasajeros, non enim eos qui uehunt, id  
est, nautas, sed eos qui in aliena naui pretio uehuntur,  
significat nauticum celeuma.**

**Classis, la flota, o armada.**

**Naualis, donde recojemos las naues, o atarazana.**

**Naumachia nauale praelium.**

**Naufragium.**

**Pharos, el faron para lumbre de los marineros, o ha  
chon de la atalaya para señal.**

**Vasculum scioterici horologii instar, e buxo primum  
tornari cepit, unde buxula, bruxola, seu pyxis di  
citur.**

### Miracula nautica.

**Castoris & Pollucis sydera, las lumbres de S. Elmo.**  
**Echeneis, uel remora, tardanaos. Triton marinus, la**  
**serena de la mar. Agada, uel sagda, la pedrezilla que**  
**tiene spiritu, y si se ase a la naue, no la pueden quitar.**  
**sin cortar el pedaço de madera donde esta asida.**  
**Horum historia, & Methonis puteum admirabilem,**  
**& aquarum miracula, & vulgi errorem copiose in**  
**nostro lexico persequimur.**

### Pericula nautica.

**Turbo, fluctus, procella, scylla, charybdis, syrtes,**  
**brevia,**

Breuias, scopuli, beluae, & marina monstra, tēpestates,  
latrocinia, prædones, piratæ, naufragium.

Problemata nautica.

Cur ijs qui sunt in littore nauis in alto uidetur sta-  
re, ijs autem qui in nauis uehuntur, uidentur moueri  
qui in littore consistunt?

Cur remus in aqua inflexus uidetur?

Cur naues hyeme per flumina, &c.

Similitudines nauticæ.

Ut qui animi causa nauem ingreditur, ut spectet,  
aut in ea mambulet: deinde repente soluta, atq; in al-  
tum reuulsa, nauseans ac mouens frustra foras prospe-  
ctat: sic qui leuiter, & quasi iusus gratia attingunt  
Remp. sed à semel suscepta non possunt sese explicare,  
negotiorū undis secum hominē & inuitū trahētibus.

Qui nauem gubernāt aliena uoce, iussuq; utuntur:  
sed qui Rempub. gubernant, in se ipsis sapientiam ha-  
beant oportet, ut non sit opus aliena uoce.

Gubernator optimos quærit nautas: architecton  
doctissimos quærit ministros: ita princeps eos ascia-  
scet amicos, qui ad Remp. administrandam maximē  
sint idonei.

Ut nauis multis ictibus cōpingitur, clauis paxillis:  
deinde ad tempus aliquantum relinquatur, donec co-  
hærescant clauis commissuræq;: deinde tutò sulcat  
maria: sic ciuitas multis sudoribus conditur, donec  
aucta tēpore, tutā ac tranquillā uitā præbeat ciuibus

Deliacum nauigium, dum subinde farcitur, & res  
cōcinnatur, ueluti perpetuū in multa secula redditur:  
sic famæ

sic fame semper aliquid adijciendum, ne collabatur.

Vt stultus qui aduersis uētis & undis nauigat, orta tranquillitate portum petit: sic qui tum negotium relinquit, cum diu iam, cum inuidia luctatus, deinceps citra inuidiam uiuere possit.

Vt aqua marina ad potum inutilis, melius sustinet nauem, quam fluuiialis dulcis & potui aptior: ita suū unaquæq; res usum habet, si quis utatur ad id, quod oportet.

Vt in magna tēpestate, ualidissimo clauo, optimo gubernatore, plurimis fulturis opus est: ita magnas & turbulētas res administrāti summa opus est sapiētia.

In magno flutu non sistitur nauis, nisi pondus anchoræ retineat alto infixæ uado: sic in magnis rerum procellis, summa ratio debet animum cohibere, ne ab affectibus auferatur.

Viator qui semel in saxū impeggerit, aut gubernator in rupem, nō solum horret eadem, uerūm etiā similia: sic qui uitium agnoscit suū, etiam à cōfinibus cauebit.

Non ut nauem arreptam fluctibus, anchora licet sistere: ita uerbum ē portu ueluti in altum emissum.

Vt nauis, cui firma est anchora, in quouis portu potest conuiescere: ita animus si accedat resta ratio, quouis in loco tranquille uiuet.

Vt sapiens gubernator in trāquillitate tempestatē expectat: ita rebus tranquillis ad dolorem aliquē præparandus est animus.

Qui nauem fregit, tamen spe uehitur: nam fieri potest, ut corpus natans in terram deferatur: at qui ex-

cidit à philosophia, totus perijt.

Vt plures urbes præter nauigasse, pulchrum est, sed expedit unam incolere optimam: ita quamplurima sunt cognoscenda, sequenda, retinendaq; optima.

Gubernator uidens in surgere tempestatē, Deorum auxilium implorat, nihilo segnius interim clamor moderans, & antennam detrahens: at superstiosus despondet animum.

Ut nauæ nemiū onerantes nauem, deinde in exhaurienda sentina laborant: ita qui corpus onerant cibis, ac deinde clysteribus inaniunt.

Qui corpus egrè affectum ad balneas, ac uoluptates trahit: quasi putrem, ac laceram nauem deducit in mare.

Vt nauæ sereno coelo nonnihil laxant uela, cū est suspicio tempestatis, contrahunt: ita corpori recte affecto nonnihil permittendum, contra si quid timebitur morbi, cautiùs agendum.

Vt nauibus sentinæ plerūq; onus detrahendū: ita corporibus aggrauatis subducendus cibus ac potus.

Nauæ à nauigandi labore turpiter conferunt se ad uoluptates, rursum à uoluptatibus ad nauigationem redeunt: ita quidam à delitijs ad labores, à laboribus ad delitias summa uite inconstantia sese uertunt.

Qui in eadem uehuntur naui, & in ijsdem militant tentorijs sese mutuò ferant oportet: sic qui uersantur in Repub. at in cōuiuijs non idem est necessitas: nam illic periculum est commune, hic non item.

Non timet mare, qui non nauigat, non bellum, quò non bellat, non latrones domi manens, non calumniatorem pauper, non inuidiam priuatus, non terra moleu, qui est in Galatia, non flumè, qui est in Aethiopia: At superstitiosus omnia timet terram, mare aërem, coelum, tenebras, lumen, strepitum, silētium, somnium.

Cùm nauita uidet imminere tempestatem, primùm quidem Deo inuocat, ut in columi liceat importum appellare, mox cōtrahit uela, atq; omnia nihilo parat, quibus est opus: Ita nos debemus auxilio diuino fidere, sed sic, ut nostrā quoq; industriā adhibeamus.

Vt periculum sit, si omnes in idem inclinent latus nauis, sed alijs aliò inflectentibus, nauis optimè libratur: sic seditio, & dissentio inter rhetores tutiorem reddit statum ciuitatis. Item dissentio Poëtarū inter se facit, ut minus inficiant opinionem lectoris.

Vt fræno circum agitur equus, ut clauo nauis: ita oratione ducuntur homines.

Vt qui in immenso nauigant mari, ex ipsa uentorū uicursusq; tempore conijciunt se promouisse, etiam si nondum appareat portus, nusquam tamen consistant, donec portum attigerint: ita non conquiscendum in philosophia, donec ad perfectum illum sapientis habitum peruentum sit.

Quemadmodum graue est nauim ingressis, cum terra discedit, quam agnoscunt, & nondum apparet ad quam nauigant: sic philosophantibus initio molestum ac consuetis discedere commodis, cum nondum uideāt ad quā felicitatē philosophia sit perductura.

Ut in tempestate apparetibus geminis, nautæ in spem eriguntur: ita post primam illam in philosophia desperationem lux ueritatis orbata discutit eam diffidentiam.

Menedemus aiebat multos nauigare Athenas, qui primùm essent sapiētes, deinde fieri Philopbus, id est, sapiētiæ studiosus, deinde rhetores, postremò idiotas: sic in philosophia quò magis profeceris, hoc minus tibi dabitur fastu.

Aqua maris inutilis potui, sed alit pisces, seruit nauigantibus: sic in unaquaq; re quod inest commoditatis excerpendum est.

Ut diligenter compingitur nauis, quæ sit in tempestatibus præsidio futura, & agger uarijs casibus oppositus: ita diligenter prouandus amicus, quò sis usus ad omnia.

Ut non qui multũ eecinit, aut rhetoricatus est, aut gubernauit, laudatur, sed qui sit: sic nõ qui diu uixit, sed qui bene.

Nauis deserta rescipit gubernatorem, si quis uelis in portum reducere: at animus ira percitus non admittit gubernatricem rationem aliunde, nisi intus ratio clauum arripiat.

Ut nautæ præsentientes tempestatem, anchoris firmant naues: ita priusquam ingruat tempestas iracundie, ratione firmandus est animus, & in diuersum nitendum.

Pigri remiges sereno cœlo desident in portu, deinde coguntur flantibus uentis nauigare cum periculo:

G ij sic



sic qui non punit, cum est animo sedato, cogitur alia quando, uel iratus punires. Qui nauscant inter nauigandum, existimant se melius habuuros, si ex schapha in liburnicam, aut in triremen demigrarint: aut nihil agunt, cum secum circumferant tumiditatem ac bilē: ita frustra uertunt genus uitæ, qui morbos animi secū adferunt.

Vt uelis utendum pro nauis magnitudine: ita cupiditates pro facultate sunt moderandæ.

Gubernator etiam si multum conducit, tamen non potest sedare uentos & undas: At ratio, ac mentis habitus non solum animi motus componit, uerum & corporis morbos sæpe leuat. Quemadmodum nauigantibus terræq; urbescq; recedunt: sic rapidissimi temporis cursu primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiã, deinde senectutis optimos annos. Nauis in flauio magna, in mari parua est: sic mediocres alibi, alibi uidentur insignes.

Magnus gubernator & scisso nauigat uelo, etsi exarmauit, tamen reliquas nauigij aptat ad cursum: sic in corpore parum sciici, ac deficiente, tamē fortis animus sui similis est.

In nauis, quæ sentinam trahit, uni aut alteri rimæ obstititur: sed ubi pluribus locis laxari cœperit, succurri non potest nauigio debiscenti: ita in senili corpore aliquatenus fulciri potest imbecillitas: uerum ubi totum collabit cœperit nihil agitur remedijs.

Vt qui uarijs tēpestatibus huc & illuc iactatus est, nec tamen peruenit, non multum nauigauit, sed multū

iactatus

factatus est: hic qui diu uixit, nec profecit ad bonos mores, non diu uixit, sed diu fuit.

Quemadmodum ecbeneis siue remora piscis per pusillus (est autem magna limaci similis) quamuis magnam nauim uelis, a remis incitatam subito sistit: ita scortulum aliquoties adamatum ingentes animi ad honesta impetus retinet aligatq̄.

FRAGMENTUM  
EX SIGONIA COMOEDIA  
*Palmyreni.*

LIBANIVS. LYSIAS. VALOYS.  
CONTARENVS.

**L**IB. Eia quod remediū ab isto mēdico expectas.  
LYS. Ego semper mi Libani ab eruditis & sapiētibz audiui, non esse reijciendam salutarem sententiā propter authoris humilitatem: & uehementer probo Cecilianum illud in Tusculanis M. Tullij: sepe est etiā sub pallio sordido sapientia. & ut uerē probat Plautina comœdia, quæ captiui duo inscribitur: summa sepe ingenia in occulto latent. Adde etiam & his hunc olim amicum meum fuisse ob incredibilem quandam morum suauitatem ita coniunctum, ut haud sciā, an eum ullo mortalium unquam mihi fuerit, uel arctior necessitudo, uel consuetudo iucundior: sed illius

felix ingenium ueneri lusus perdidit. Heus? heus?  
 domine doctor accede. VAL. Audiatis domine bacca-  
 larie, uel qualiter estis qualificatus, dico uobis quod  
 uos estis adhuc iuuenis, & non deberitis uituperare  
 magistros. LYS. Ego uitupero? Absit non uenit in mea  
 tem, quem Hispanum habueris amicum, quando Do-  
 rotheam amabas Louani? VAL. Sancta Maria uos  
 estis Lysias? LYS. Ipsemet. VAL. Oper die ne hab.  
 molestiam, debetis audire unā nouitatem cum leticia.  
 Posteaquam non uidi uos, ego laboraui multum in  
 poëtria, & ego legi Plinium, & Suetonium, & alios  
 Poëtas. Et Dorothea dixit, ego audiui, quod estis bo-  
 nus poëta, ergo debetis mihi semel scribere unū car-  
 men. Et ego feci illud, & cantauit de sero in platea,  
 quod ipsa audiuit. LYS. Recita amabo carmen istud  
 adeo iucundum. VAL. Audiatis.

O pulchra Dorothea, quam ego elegi amicam,  
 Fac mihi etiam sic, qualiter ego tibi.

Pulchrior es tu inter omnes huius urbis puellas,  
 Et splendes sicut stella, & rides sicut rosa.

LYS. Si adesset Antoninus Romanorū Imperator,  
 te eodem premio illustraret, quō Oppianū pro libris  
 de uenatione illustrauit. Sed explica amabo enigma  
 quoddā, quo omnes perturbamur. V. O uidete, uidete,  
 ego uolo uobis dicere quomodo succedit mihi cū mea  
 Dorothea: nam uos nunquam audiistis principium.  
 Sciatis ergo, quod ego fui felix in mea amasia. Ego  
 una die ueni ad eam, & fui ita perterritus, quod non  
 potui eam aspicere, & fui rubicundus: tunc ipsa dixit.

**A**h domine magister, quare estis ita rubicandus & uerecūdus? & sæpe interrogauit me rationem, & ego dixi quod non audeo dicere. Sed ipsa uoluit scire, & non uoluit me dimittere, nisi uellem dicere ei, & dixit, quod non uellet irasci super me, etiam si dicerem unā magnam nequitiam. Tūc semel fui audax, & reuelauē ei secreta mea, & dixi domina mea reuerenda parca = mihi, propter Deum, & propter honorem omnem uestrum. Ego amo uos, & ego elegi uos, quia estis, quia estis speciosissima, sicut una in toto mundo. Tūc ipsa risit, & dixit, per Deum uos scitis amicabiliter loqui, si ego uellem credere. Et quando fui in ecclesia, tunc steti ita quod potui aspiciere eam, & ipsa etiam aspexit me, quasi uellet me transuidere. & nuper rogauī eam ualde, quod uellet me habere cōmendatum. Tunc dixit quod non amarem eam, & ego iurauī, quod amarem eam, sicut propriam matrem, & uellem omnia facere ad seruicium eius etiam si solueret mihi uitam. LIB. Eia Varro & Columella parate lodicem, quò possitis in sublime iactare nebulonem hunc adeo molestū, aut solea, uel calceo eius scapulas uerberate. VAR. Prouocasti equos in planiciem. CONT. Quid dicebas modo Libani, uix enim auribus assequi potui, LIB. Dicebam, ut Varro, & Columella Flandrum istū admonerent, nos nequaquam eò esse animo, ut uelimus declamatorē ad clépsydram latrantem audire. CON. Atqui iucundum hoc argumentum efficit, ut uoluptas suauiter sensibus nostris blandiatur. LIB. Vobis iucunda est narratio, qui filiam non quæritis. VAL. Eia

domini mei, audiatis quid respondit mea Dorothea,  
 ego benè uolo uidere si amatis me, & fecit unum si-  
 gnū rubicūdum cum creta ad portam suam, & dixit:  
 si amatis me, quotidie de sero quando est tenebrosum  
 osculate istū signū rubicundū propter me, & ego feci  
 taliter per multos dies, & una nocte uenit unus, &  
 supermerdauit mihi signū, & ego osculādo maculaui  
 os, & dentes, & nasum. & fui ualde iratus super eum.  
 VAR. Eia Columella hoc age. COL. EN. VAL. Pro-  
 fectō, reuera certē. Hercle, quidem uos non facitis ad  
 modum delectabiliter Eia bufones? eia quid facitis?  
 cur percutitis? VAR. Tibi, ut uideo, obsonij loco erit  
 sal cum aceto. COL. Ego Pompillū, aut Tyrotarichū  
 patinā præbebo. VAL. Eia quid hoc? uos facitis ope-  
 diem? ad ignem, ad ignem? cum istis maliciosis, ne bur-  
 lemini meo latrones? Ribaldi? Si ego possum unus-  
 quisq; uestrum debet habere retributionem suam.  
 Hei, hei diabolus uos possit portare. LYS Amabo ne  
 ita acerbè amicum meum Thomas de Valoys exci-  
 piatis, nam id æquo animo ferre non potero. VAL.  
 Ego scio quod uos estis amicus meus & cum amicis  
 debemus esse læti, quando latantur, & contristari  
 quādo tristantur: sicut scribit unus poëta qui uocatur  
 Cicero. Reuera certē manifesto uobis, quod isti sunt  
 inimici ualde maliciosi, & dicunt multa uituperia  
 contra dominationem uestram, & præsuponūt multa  
 exponentes se in superbia sua. COL. Cur ergo non ex-  
 plicas enigma. VAL. Dicatis. LYS Hic nobilis Valen-  
 tinus non potest agnoscere ueram filiā expiica agno-  
 scendi

scendi methodum, si quam potes, nam hæ duæ simul pugnant. VAL. Hô, ho, ho, audite, audite, ego dicam vobis unam veritatem. Vos estis spuria, & mater uestra meretrix, & pater uester præbyter. Sed ingrediamur domum, & dicam secreto, quod sentio, nam hic nolo dicere ne dem malum exemplum iunioribus, & isti peioresentur. LYB. Age fiat, i præsequemur.

### *Actus secundus.*

DEIOTARVS seruus Libani.

DEMETRIVS famulus Pontani.

**E**quidem non solum approbandam, sed etiã uoce pleniore laudandam censeo Thesei Atheniensis sententiam, qui iussit, ut quicumq; sacras cantilenas decantarent, semper uoces illas emitterent, eia, heu? quibus aperte significarët dolorem & noluptatem in uita mortalium perpetuò coniungi: nam si dicas eia heu, prior uox gratulationis est, & in bellicis pæanis bus cani solet, altera uerò luctum significat. Video herum meum Libanium eo deductum, ut uerè possit exclamare eia, heu? DEM. Salue mi Deiotare. DEI. O Demetri salue. DEM. Non dubito, quin mirere, atq; etiam stomachere, quod orationem tuam perturbos: sed amabo dabis hanc ueniam mihi ueteri amico. ego nesciebam te in Libani Clientelam cooptatũ: gavisus ergo sum uehementer, quando Libanium herum nominasti, sed illud extremum eia heu, nō intelligo. DEI. Intelliges si attētus auscultes. Posteaquam herus meus sua illa navigatione fortunã splendidam, opes in au-

ditas adeptus est, famulos duos agricolas Varro nem  
 & Columellam amandauit, me & alios uiginti Valen  
 sine aule assuetos delegit, quibus & corporis sui &  
 suppellectilis uniuersae curam tribueret. DEM. Est ne  
 suppellex magnifica? aut minor quam tibi persuadeo  
 bas? DEI. Possum sanè cum Plinio dicere magna Iseu  
 philosophum fama praecesserat, maior inuentus est.  
 Arca pistoria farina oppleta est triticea, Ampho  
 uino plene rubro, & fragrati, de quo uenusinus uates  
 uidetur pronuntiasse, cum dixit: generosum & lene  
 requiro, quod curas abigat. Nullum praeterea in Li  
 banij edibus uasculum, quod ad miraculum usq; auro  
 atq; argento non sit refertum. Puteus olei plenus.  
 Lecythi ambra, & moscho, zibeto & alijs id genus  
 odoribus implentur. Ad extremum plenu est nucibus  
 solarium summum. Iam nobis haec omnia sunt aerea:  
 Acetarium uas, lopadium, olla, uasa alia in argentea  
 uidebis commutata. Quodam quae nobis fuit laterna  
 cornea, mirabili & repentina, conuersione facta est  
 eburnea. DEM. Nescio prorsus quid aliud desideres  
 ad humanam felicitatem, aut cur heu heu Libanius  
 tuus cantillet. DEI. Cum Philippo Macedoniae regi  
 nuntiatum esset, una die multas res prospere gestas  
 esse porrectis in coelum manibus, o fortuna, inquit,  
 pro tot tantisq; bonis, leui quopiam malo me affice.  
 Sic Libanio aliquid erat mali post tantam felicitatem  
 expectandam, & qui dolent, quod non sint in omnibus  
 etiam diuersissimis felices, perinde faciunt, ac si quis  
 molestè ferat quod uinea non ferat ficus, quodq; olea

non ferat botros. Amisit Libanius filiam, allatae sunt  
 duae: sed nullum apparet argumentum affinitatis, seruat  
 ambas domi, pollicitus est unicuique talenta duo, cum  
 primum maritus aptus occurreret. Tulit ergo Li-  
 banus equo animo hoc infortunium, obiurgatur pre-  
 cibus multorum, qui ob inauditas opes eum generum  
 desiderant. Sed ille reliquas omnes contemnit, solam  
 Theopompi filiam uotis ardentissimis exoptat  
 etc.

DEMETRIUS. GELLIA ancilla

**D**EM. Heus, heus, Gellia? **GEL.** Hemi quid est? es ne  
 tu Demetrius? **D.** Vnde hoc, ut tu in tam tenella  
 etate caecitare incipias? me non agnoscis? **G.** Agnosca?  
 qui possum misera inus dolores perpeffa? quemad-  
 modum enim Ino Cadmi filia dolore uexata se in mare  
 coiecit, ita mihi nouus hic dolor sensus omnes adimit,  
 adea ut stupescata, & quasi extra me posita, nec praeter-  
 euntes intueri possim, nec me continere quin laqueo  
 uitam erummosa perturbem. **D.** Vnde tot erumme?  
**G.** Si audisses Xanthiae miseras & cluctuosas preces,  
 lachrymae, uel te inuito genas istas, & barbam ma-  
 defacerent, hei, hei, haerunt animo illa trabali fixa  
 clauo, mea Gellia? mea Gellia? te oro & obsecro si me  
 omnibus amplissimis, charissimis, iucundissimisque rebus  
 perfidia hominum foliatam, si me a meis consiliariis  
 proditam, & proiectam uides, si intelligis me coactam,  
 ut ipsa me & meum pudorem perderem, ut me tua  
 misericordia iues: tuearis & ut possis sustentem.

**D.**



D. Hei uereor quorsum euadas? magnum enim in-  
 fortunium urget, quando herus supplex ad famulum  
 accedit. GELLIA. Magnam inquit? maximum de-  
 cturus eras, aut potius mauditum. Amabat Xanthia  
 Pontanum, id agnouit Cleanthes, qui eius nuptias ex-  
 petebat, Rivalis ferox & truculentus Pontanum ad  
 singulare certamen uocauit. Cras hora tertia pome-  
 ridiana prodibunt ambo armis instructi ad la-  
 yugum uulgo appellatum laygua de en Bonanat. Ibi funesta  
 mors alterum, aut utrumq; expectat. Interim tamen,  
 ut calamitatum aceruum coniunctum intelligas, Li-  
 banius ille qui nuper apud insulas recens inuentas  
 ditissimus euasit à Theopompo extorsit, ut Xanthiam  
 uxorem sibi concederet. D. Proh dolor? inter sacrum  
 & saxum esto, quid agam miser? hoc illud erat, cum  
 ego herum meum Pōtanum noctuabundum intuebar,  
 & quotiescunq; epistolam quandam perbreuem le-  
 gitabat, non solum torquebar, sed etiam angebatur,  
 aut potius ardebat dolore. G. Nunc non est his locus  
 age calamitas hæc animum uirilem ac plane masculū  
 desiderat, hera mea Xanthia iussit, ut ensẽ hunc  
 præberem alicui ex famulis Pontani, tu primus oc-  
 curristi, tibi præbeo, fac ut Euro celerior sis, ne in tã  
 graui calamitate herum tuū fefellisse uidearis. Multæ  
 sunt huius ensis dotes, sed hæc præcipua, quod quicūq;  
 illum nudum dextera tenuerit, humanis uiribus supe-  
 rari non potest. Certa erit Pontani uictoria. Hoc ense  
 usus est olim Carolus magnus, deinde Ferdinandus  
 Catholicus rex Hispaniæ quando nodum illum soluit,  
 dicens:

*dicens: tanto monta. D. Deū immortalē quam elegans  
quam accommodatus est mee dextera? &c.*

PONTANVS. DEMETRIVS.

LAUTRECHIVS. TURNEBVS.

**V**ERUM ne mi Turbene quod audiui? TUR. Ver  
rissimum. PONT. Cleanthes ille. TUR. Ille ipse  
non mediocres terrores iacit atq; denunciatur. PONT.  
O superi me uiuo & in hac urbe agente Cleanthes  
ista dicet? non ferā? non sinam? non patiar? perpende  
quæso quam indigne contumelia afficiar. Cū ipse  
non posset Xanthiæ animū, aut precibus, aut munere  
permouere omnia malorum genera in meam perni  
ciem tentauit, armatis militibus uillam fratris mei  
adortus est. Vah, quid passus est tunc hic meus frater  
Lautrechius? LAV. Passus sum camarinam malorum  
domus mea primo fracta cōiectu lapidum deinde in  
flammata iussu Cleanthis, inspectante urbe, coniectis  
ignibus, magna querela & gemitu, nō dicam bonorū,  
qui nescio an ulli sint, sed planē hominū omnium: &  
nadius tertius quū porta Regia discederem, insecutus  
est me cum suis, clamor, lapides, fustes gladij, hæc im  
provisa omnia. P. Mi Turbene magnitudo rei longā  
orationem fortasse desiderat, coniunctio uerō nostro  
rum animorum breuitate contenta est. Si me ama  
tārum quantum profectō amas, si dormis expergiscere:  
si stas, ingredire: si ingrederis curre: si curris aduola.  
TUR. Vide quid agas mi Pontane, festina lente, nam

*canis festinans cæcos parit catulos, omnia prius cotta  
 filio experiri, quam armis sapientem decei. P. Credibile non est quantum ego in cõsilijs, & prudentia tua, quodq; maximum est, quantum in amore, & fide ponam. Vnum illud, tibi persuadeas, uelim omnia mihi fore explicata, si te ducem habuero. Precibus nostris & cohortatione non indiges: quid mea uolũtas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis. Scis ipsum Cleanthẽ multa superbe & arrogãter iactare. cum magna nominis mei & fame iactura hodie in arenam descendendum esse: tentabo an Cleanthi Mauros uentosa in lingua, pedibusq; fugacibus illis semper fuerit. TUR. Si hoc tibi animo fixum, immotumq; sedet, nulla erit in me mora, citius enim quam ignis ad naphtham, ueniam ad locum quem delegeris. Sed, ut dixi, festinandũ lente: agnosco hoc uerissimẽ, si Cleanthem palam occideris, nihilo tuam causam faciliore, quam adhuc sit, in iudicio futuram. Restat frater Cleanthis homo uehemens, feroxq; natura, asper, ferociter, & libere maledicta in te quotidie dicens: quipoteris impetum gladiatoris illius, ferociamq; comprimere? Sed ferocitatem illam compressam, & audaciam fractam frangamus, quos Libani animos, quos impetus, quam ferociam fore putas? Hunc, hunc, campana arrogantia tumentem, hunc, inquam, oportet nobilitate, diuinijs ferocitate, exultantem extimescas?  
 P. Mi señor sacad me de este barranco: y ahogadme en esse otro. T. Fiat ut uoles. nunc tandem agnosco, uerũ esse quod dixit Prodicus: nempe cupiditatem*

geminatam amorem esse: amorem uerò geminatum insaniam fieri. Age, dic ordine quæ uoles. P. Volo ut mecū profisciscaris, & sis mihi patronus in hoc singulari certamine. Ego Cleanthem aggrediar. tu fratrem illius Trebonium. TVR. Non recuso, parentur equi, & hastæ, enses & Clypei. DEM. Here? here? P. Quis est? O Demetri? curre, adfero equū. D. Adfero munus planè splendidum, nam Xanthia mittit tibi enses, quò poteris absq; ulla dubitatione certam uictoriam comparare, eia heus Pontane instat tēpus, properandum est.

MANARDVS. MONTANVS. ARGENTE-  
RIVS. THEOPOMPVS. ASPASIA.  
XANTHIA. TIMOTHEVS puer. IAC-  
COBVS de Forliuio.

**Q**uærenti mihi Argenteri charissimè, unde tot calamitatibus medici, uel doctissimi obruantur: inter alia multa, illud præcipuum occurrit, quod uulgi iudicium pleriq; sequimur: sapientissimè dixit ille, non oportere in urbe nutriri leonem, at si iam sit alitus, obsequi ei oportet: leonem nostrū uulgus ipsum appello, cui iam parere coepimus, modo libertatem ueterem recipere integrum nō est. ARG. Non est tam recens malum, quam tu existimas mi Manarde: nam ætate Socratis certabāt in theatro histriones, Mimi, cantores, & sophistæ: recitabant etiam poëtæ: quorū artes cum populus nesciret, tamen alijs applaudebat alios explodebat. MONT. Ideo Anacharsis Scythæ

admira

admirabatur, qui conueniret, ut artifices apud Græcos  
 certarent, & de his iudicarent artis expertes.  
 Quandoquidē de artifice nemo rectē iudicare potest  
 nisi artifex. Et Hippomachus musicus cum discipulū  
 suum errare sensisset, & nihilominus plausum audi-  
 torum adipisci, percussit eum baculo, dicens, perperā  
 pulsasti cordas, nam alioqui tibi non applauderet  
 populus. M. Ventum est in ædes Theopompi, conscen-  
 diamus. MONT. Tu prior, qui & senior, & doctus  
 nos præeuntem sequemur. Sed adest Iacobus de For-  
 liuo, recipiamus nos in pergulam proximam, ride-  
 bimus suauissime, contemiamini, quam celeri gradu  
 scalas illas ieuor aura superet. IAC. Beso las manos  
 de mi señora Aspasia. ASP. Be siau vengut señor do-  
 ctor: hay com estich malalta? IAC. Malalta? ben alta  
 veig yo a v. m. y ben prosperada, y va gendre ben  
 rich vègut de Indies. ASP. Dexau vos de axo doctor?  
 que encara no y ha res fet. Mas com sou vengut tan  
 prest? que yo he demanat quatre doctors pera que  
 tingam collacio en la malaltia de Xanthia, y vos sou  
 lo primer? IAC. Viue Dios, que todo esso se haze por  
 seruir mejor a esta casa, y todauia son mas estimados  
 los perezosos que no los que bien trabajamos. ASP.  
 Deueu tenir pocas visites. IAC. Pocas visitas? Voto  
 a los poluos de letificans Galeni, y a las versiones de  
 Andernaco, todos los medicos juntos no tienen tantas  
 como yo: mire que digo, juntos, juntos, mire esse pa-  
 pel y lea. ASP. Tres cauallers a la placeta de Perpi-  
 ñan. IAC. Vee mi señora, que no visio gente baxa.

A. Y allí nengun caualler ya, que dieu? IAC Venian en  
 compañía del duque de Branzui. A. Axo ja ha tres  
 añys. IAC. Que haze al caso? ASP. Y aquestos Cōdes,  
 y Ducs, que nomenau, altres mefjes tenē, y yols he vist  
 vuy passejar? IA. Pues que no puedo uisitar vn señor  
 en la calle con vna bonetada? A. Si axo nomenau vie  
 sites, de tota la ciudad sou meige. IAC. Pues no? como  
 nuestros boticarios de vn rauano hazen lechuga, cō  
 ayuda de aquello que llaman quid pro quo, yo al mis  
 mo tono mi señora. A. Digau que fare pera cobrar  
 lo appetit. IAC. Lo que hazen los pobres, que siempre  
 imaginan que se hallan ducados. Imagine se v m. que  
 esta en vn desierto y vera como le mouera el apeto  
 A. No tēgo tan fuerte imaginatiua. IAC. Pues escuche  
 me, y vera como le enseñare a imaginar: mire no me  
 pierda de vista: lo que oyra no piēse que lo digo yo:  
 sino que estoy eleuado, yo me subo, yo me hincho. yo  
 imagino, yo el doctor Iacobo de Forliuio madrugue  
 mucho esta mañana imaginando q̄ la señora Aspasia  
 me pagaua tres añadas que me deue, y porque no me  
 desp:diēse no le of:ua pedir dimeros, y ymaginaua  
 que me cōbidaua a las bodas de su hijastra Turina,  
 y que comiamos por principios natas, hojaldres, ore  
 jones con açucar, y vino blanco, pastelicos, lomillos,  
 y lōganizas, despues platillos de cabrito, de conejos,  
 de pechos de ternera, de gualdras: los potages eran  
 mājor blanco, mirauite de palominos, ginestada, cara  
 nero adobado: lo assado, eran perdiz: s con naranja,  
 capones emborrogados, lechones, rellenos, lo cozido,

manos de ternera cō oruga, anades cō salsa amarilla,  
 sopa de aues blāca, piernas de carnero lampreadas,  
 olla podrida, pasteles reales de aues, cuzcuçu de aues:  
 Los postres, tortas reales, turrones de Alicante, ca=  
 muelas con dragea, azeytunas, y queso, hypocras, y  
 neblas, fruta de sartén. A. Bien imaginays a vuestro  
 prouecho, pero yo no puedo ver cosa de carne. IAC.  
 Oyga pues, de pescado. MAN. Eia ne simus adeo stu=  
 pidi qui tam insulso colloquio delectemur progr=  
 tur, iam Theopompus salue Theopompe nobilissimē.  
 THE. Saluete urbis nostræ ornamentū. IAC. Bona uita  
 domine Theopompe. THE. Sis saluus mi Forliuio, eia  
 doctores clarissimi qua possitis diligentia scrutamini  
 causas morbi præscribe rationem uictus & summa  
 diligentia morbū profligate non laceissetis me ingra=  
 tum beneficio eia puer Taurinam accerse. P. Vocauit  
 iam dixit se Aspasia, heræ meæ iussu prohiberi quo  
 minus exeat. ASP. Dic iam integrum illi esse huc pro=  
 dire, & cytharedum expectare, & medici explorabūt  
 causas noui morbi. TAV. Quid hoc mea mater, si esse  
 fato proxima exquireret, ne maiorem medicorū tur=  
 bam. A. Meum corculum, la meu anima, principijs  
 obsta dixit ille, ne mihi uitio uertas quod accuratē  
 salutem & quietem tuam exquiram quanquam enim,  
 nec ego, nec meus uir Theopompus te genuimus tamē  
 quia liberos nobis natura denegat te filie loco dili=  
 gimus, & in hisce nuptijs quæ iam instant omnia nos=  
 tra bona agros fundum supellectilem egregiā dotis  
 nomine tribuemus. ARG. Videt ne Montate in hac  
 puella

puella renouatam ueterum cōsuetudinem. MON. Non  
 satis assequor quo tendas. ARG. Olim Athenienses  
 matrone in extenuando corpore filiarum summum  
 studium ponebant, falscijs namq; pectus deuinciebant,  
 ne habitiores fierent, quæ ratio ualde utilis est cor-  
 poris amplitudini coërcendæ: uictus deinde ratione,  
 detractiōneq; cibi, si qua plenior natura fuisset te-  
 nuior reddebatur. MA. Plutarchus alio etiã remedio  
 ipsas uti solitas docet rorem enim excipiebant & hoc  
 cibo minuebāt pinguitudinem, ut uocant. ASP. Agite  
 uiri doctissimi scrutamini iam Taurinæ affectū. IAC.  
 Desde aqui veo yo su enfermedad, ella es finissima:  
 lo que en esta tierra llaman no li ve del seu chipò, o  
 de sa camisa. A. Heus manè loquentur alij prius, cur  
 es adeo innurbanus. IAC. Bueno por dios, con estos  
 Grammaticos me acompara? porque saben dos vo-  
 cablitos de hierbas, y vn poquito de anatomia, y no  
 dizen, anà uncias duas, sino singulorum æquales por-  
 tiones, piensan que nos han de beuer, non curat Deus  
 multum de isto Græco, de v. m. me maravillo, que tan  
 poco estima mi doctorado, digame pues quiere saber  
 tãto todo este reyno junto no haze vn cuerpo. ASP.  
 Quis negat? IAC. No es la cabeça el Rey. ASP. Vera  
 predicas. IAC. Los braços no son el militar y el eccle-  
 siastico? ASP. Sunt. IAC. Todo el otro cuerpo no es el  
 pueblo donde estan menestrales, y artes mechanicas,  
 que hazē las piernas y pies de este reyno. ASP. Quid  
 tum postea? IAC. Ha no me pierda de vista, bien sabe  
 que por mi doctorado entro yo como cauallero en el



braço militar, digame estos grāmaticos donde entrā:  
 ASP. Ignoro planē. IAC. En esso se vea Dios, yo digo  
 que en todo el cuerpo no hay lugar para ellos. MON.  
 Quid hoc ineptē nōne Reges omnes Grammaticam  
 ediscunt? IAC. Videbitis uidebitis modo in ista cura.  
 ARG. Eia mi Manarde tuum est pulsus uenarum per-  
 tentare, ut puellae morbum agnoscas. MON. Cur non  
 potius arteriarū pulsus appellasti. MAN. Isthec omni  
 Aulo Gellio in suis obscurissimis noctibus exquirenda  
 relinquamus: ne iste Iacobus Forliuio nos Gram-  
 maticos uocet. A. Perpēde hoc mi Argenteri quoties-  
 cunq; sola est filia secum loquitur, ita ut uideatur in-  
 sanire: est autem morbus recens. MAN. Dic mihi Tauri-  
 rina, solent tibi unquam oculi durifieri? TAV. Quid  
 tu me locustam esse existimas? MAN. Crepant ne tibi  
 unquam intestina, quod sentias? ARG. Quam elegāter  
 mi Montane noster Manardus scrutatur an atrabile  
 abundet corpus Taurinae. M. Hoc ut video desumpsit  
 ex elegantī & erudito Aristotelis problemate. Tib.  
 ego Theopompe credebam esse tempus accommoda-  
 tum saltationi quotidianae, sed ut uideo morbus nos  
 monet, ut in diem crastinū differatur. ARG. Eia, heus  
 absolutē tuum pensum, nam exhilarabitur puella hac  
 exercitatione, & nos facilius & copiosius de morbo  
 colloquemur. Nos si placet uiri doctissimi dum puella  
 ad tibicinem saltat in hoc angulo morbi causas per-  
 sequemur. ARG. Absoluit iam tibicen tu Manarde  
 poteris Theopompo respondere. MA. Cōmuni omnīū  
 sententia tibi declaro filiam tuam morbo nullo quan-  
 tumuis

tumâis exiguo infestari cæterum si quid fortasse, aut  
 uentriculū, aut caput infestat id temporis adiuumento  
 euanescet nos consilium illud Galeni sequimur raro,  
 & ualde indigētibus sunt adhibēda pharmaca ideoq;  
 nullum medicamentū præscribemus uale. TH. Mayor  
 domo dad à cada doctor deessos quatro doblas de oro  
 I A C. Vayan vayan a construyr a Galeno, veamos  
 como les mostrare yo q̄ uale mas Mattheo de Gradi,  
 llegaos aca donzella hablar os he a la oreja, chio,  
 chio, chio, como curariedes con ver a Pontano uee  
 mi señora como la he alegrado. THEOP. Olà moços,  
 soltadle el perro de ayuda a este nescio. IAC. Ay, ay,  
 ay, mas me valiera no hauer venido.

*Fragmentum ex comœdia OEtania.*

CHREMYLVS senex. TVRONIVS seruus:  
 MARCELIA vxor. COLUMBINA ancilla.

**N**octem uariæ ac philosophis ueteribus cōmen-  
 datā uideo eam inter alios Scopelianus laudet  
 quod exercitationi mentis aptam esse cognoscat, &  
 habere hominis mentem in alto hoc silentio corporis  
 sensibus iam feriatis aliquid diuinum affirmat si sese  
 ad res sublimes contemplandas conuertat. Eam ergo  
 desiderant studiosi, & quicumq; diurnis laboribus de-  
 lastati somnum & quietem exquirunt. Sed me miserū  
 quod alij omnes laudant ipse quasi noctu abundus ui-  
 tuperō, ære alieno obstrictus somnum capere nō pos-  
 sum: quam uerè dictum curas cor urere? Profectō  
 noctesq; diesq; exeduntur animi eorum, qui contra

conscientiam opibus hominum septi esse & muniti  
 nolunt. Nunc tandem Persas illos ueteres sapientes  
 fuisse apparet, qui duo esse peccata inter homines  
 turpia dicebant quorum primum est, debitorem esse,  
 alterum mentiri: coniunxerunt hæc duo quod unum  
 raro sine altero reperire possis. Ego quotidie me  
 soluturum polliceor, at nunquam soluo: ideoq; debitor  
 & mendax sum. Vide quantum mali uxor nobilis  
 attulerit. Sed uolo excitare seruum meum Turonium,  
 ut lumen accendat. Heus Turoni, Turoni, accende lumen  
 cedo codicem accepti & expensi, adfer etiam  
 aduersaria. TVR. Vah, quam molesti sunt adulescen-  
 tibus senes? ego te pefactum nidum uix possum deserere.  
 ille iam in tenebris oberrat. CHR. Turoni, Turoni,  
 nunquam hodie accedes. TVR. Adsum heere: sulphur atq;  
 & fomes tantum humoris ex esterna pluuia conce-  
 perant, ut uix, ac ne uix quidem ignem exciperent.  
 CHR. Lege primum uersiculum? TVR. Heri Calendis  
 Ianuarij herus meus iunior iussit ut anticeniam para-  
 rare, quò nobiles aliquot in littore maris exciperet,  
 consumpsi minas tres, emit etiam equum, & asturcon-  
 nem quinquaginta sestertijs, Hera mea conuiuio exa-  
 cepit, uirgines sacras in cenobio diui Iuliani, paras  
 ui omnia eo splendore quo illa mirabiliter oblectari  
 solet, consumpsi minas octo, emit etiam sericum Gau-  
 spinum, textum attalicum, linum holladicum, & hæc  
 alia, sed quid hoc mihi Chremyle? laboras ne apople-  
 xia? an paralysi? an animi deliquio? CHR. Heu, heu, o  
 insignem humane uitæ calamitatē? ego nunquam foris  
 cenam

CENAVI, nūquam splendido amictu usus sum, & tamen  
 conuiujs externis, ueste splendida conficior: dum su-  
 perba uxoris arrogantiam, lasciuientis filij sumptus,  
 uel inuitus sustineo. PERIJ miser, cras, aut ad summum  
 perendie, redditurus sum creditoribus talenta duo,  
 aut quærendum exilium: eia dicto citius uolato, &  
 uxorem accerse. T. Vocauī uxore, respondit sibi inte-  
 orū, non esse ad te accedere, quoniam anus quæ uirgi-  
 nibus sacris præest, iussit ut hisce nouē diebus, quibus  
 religiosè preces illas, quæ uulgo, de la emparedada,  
 uocantur, recitat, coniugalem thorum fugiat: hisce  
 uerò absolutis se balneum profecturam, & ad tuum  
 cubile uenturam pollicetur. CHR. Falces postulabam,  
 ignorat quid petam, & caput obtundit. Dic me alijs  
 curis grauioribus obrui, & habere quædam impedi-  
 mēta ualetudinis, quæ fortasse breui colloquio dissol-  
 uentur. MARC. Mi uir quid hoc nouæ rei, cur quæso  
 tanta celeritate me accersi iubes? uidisti ne aliquid  
 in somnis quò deterritus non possis tuam ueterem so-  
 litudinem pati si spectrum est, aut lamia, aut histrix,  
 ego noui multa quibus possis isthæc fugare ne timeas.  
 CHR. Utinam essent ista quæ dicis uxor, facile enim  
 sacro signo crucis abigerem, nec me ullus urgeret  
 pavor. MARC. Horresco sanè ubi audio te his malis  
 afflictiari, quæ crucis signo tolli non possunt amabo  
 libera me hac cura & metu. CH. Ausculta attētissimè,  
 liberabo, ut potero. Ego posteaquam te duxi uxore,  
 scis quam ingenue tibi alioqui pauperula diuitias  
 meas omnes, præsentē pecuniam, uasa aurea, argētea,

murrhina, & alia id genus tribuerim. MAR. Ego etiā  
 pulchritudinem meam, prauos, nobilitatem cum istis  
 tuis rusticis moribus, uictu arido, horrida incultaq;  
 uita conuixi. CH. Hei uxor? ne sermonem meū odiose  
 interpelles, alias enim, ut me & appelles, & inter-  
 pelles, & obloquare, & colloquare uelim nunc non est  
 his locus. MAR. Cur ergo paupertatem meam in men-  
 tem reuocas? Perge. CHR. Ego persuadebam mihi te  
 illud alta mente repositum habituram quod sapientes  
 patres familias crebro cātillant: res familiaris queri  
 debet ijs rebus, à quibus abest turpitudine, conseruari  
 autem diligentia & parsimonia, ijsdem etiam rebus  
 augeri uerū tu hæc omnia contemnens iactare te  
 sumptuosius & insolentius cœpisti nihil probabas,  
 nisi quod esset lautū, elegās, exquisitum, sumptuosum.  
 Diebus quibus carnibus non licet uesci ego sardinas,  
 aut asellum salitum exquirebam, tu continuo morbum  
 simulabas, nisi pagrus, scombrus, solea, loligo, sturio,  
 & id genus pisces cœna dubia tibi apponerem. MAR.  
 Hui an ignoras hoc necessarium esse ad nobilitatem  
 conseruādā? CHR. Natus est deinde nobis puerulus,  
 aut ut uerius dicam natus est tua causa, non nobis, id  
 est ad senectutis nostræ solatium, sed ab domini suo.  
 Volebam eum frugi & in omnibus uitæ partibus mo-  
 deratum, ac temperantem, plenum pudoris, plenum  
 religionis, motus animi appetentis sedantem, ita ut  
 posset semper libidini aduersari, & moderatam in  
 omni reseruare constantiam. Sed proh dolor? tu sola  
 puerum corrumpis, non finis à pædogogo uerberari,  
 semper

semper literas à nobilitate alienissimas esse affirmas.  
 MARC. Utinam filius meus ludos istos literarios, imò  
 phrontisteria, uel pistrina potius & carnificinas  
 nunquam intrasset, nòne illud est multò præstabilius,  
 ut alanos meos imitatus ediscat aptè uolare cornu,  
 canes alere, perire uenari, falconem, aut accipit rem  
 pulchre gestare, hastam uibrare, & id genus alia uè  
 nobiles solent? Hæ meo iudicio sunt artes, quæ uerè  
 nobilem decent. Scholæ istæ & gymnasia relinquenda  
 sunt rusticorum filiis. Ego sic uitam filij instituo, ut  
 ex ea facile omnes generosum esse cognoscant. Volo  
 eum uersari in aula inter purpuratos, inter deos quos  
 dam terrestres ideo quotidie prodit indutus purpura  
 & bysso, & comessatur quotidie splendide. Doceo  
 illum ut gratus sit omnibus, blande salutare, cõplecti,  
 cedere uia aperire caput, subinde repetere honoris  
 & charitatis titulos, laudare offatim, polliceri beni-  
 gne, ne sit asinus inter simias. CHR. Tandem tu ipsa  
 confiteris tua industria filium meum ex homine in  
 pecudum conuersum: nunc non est disputandi locus.  
 Ego cras in exilium iturus sum, nisi tu eadem libera-  
 litate qua ego usus sum aliquam partem amplissime  
 dotis restituas creditores instânt, tu & filius hæc mihi  
 paupertatem peperistis, & exilium, aut carcerem cõ-  
 parastis. MARC. Mi uir aquam è punicè postulas: ea  
 bona quæ à te dotis nomine accepi, ea lege dedisti, ut  
 ad te nunquam redirent. CHR. Vnde hoc tibi ut que  
 tanto sudore comparauit, tam liberaliter effundas, &  
 si ipse indigeo, tam auare retineas. MARC. Vnde hoc

tibi ut senex tristis ac decrepitus, in occasu vite con-  
stitutus, agrestis omnino, tuis illotis manibus, me puer  
tam nobilem attingas? ego nunquam tuos complexus,  
cum esses summa senectute & perditâ valetudine, sed  
tuos potius numos expetiui. CHR. Bona uerba? tam  
apertè loqueris? efficiã sanè, ut uel inuita quod peto,  
restituas. Alioqui te hoc pugione confossam, animam  
exhalantem uidebunt propinqui, hem? MAR. Colum-  
bina, Columbina, propera. COL. Quid hoc heres? cur  
sic matronam nobilem audes percutere? ignoras ne  
quos habeat affines quos fratres? cõpescere quæso iram  
eundiam, alioqui non potero heram meam in tanta  
calamitate deserere non cessas? profectò hodie me nõ  
Columbinam, sed Vulpinam agnosces. MARC. Perge  
Columbina uerberemus hominem. CHR. Hei, hei, hei:  
MARC. Sat est, recipiamus nos in ædes fratris mei,  
interim fortasse animi deliquio correptus in fata  
concedet, utinam id contingat, quo possim libera ab  
afflictò marito transfugere, atq; ad florentem alium  
deuolare. COL. Curramus heras, & asylum tutum no-  
bis paremus. Hic modo anquirat aliquem, apud quem  
euomat uirus acerbitatís suæ. TVR. Quenã solitudo  
est hæc heres, unde pallor faciei: cur oculos istos mi-  
santes intueor? CHR. Audies postea, nunc demus ope-  
ram, ne uxoris fratres me imperatum offendant, &  
audio iam creditores meos hostium pulsare recipiam  
mus nos in templum proximum. TVR. Hei quantum  
difficultatis in negotio occurrit tenemur undiq; CH.  
Age, dabo operam, ut capillatior quã antea, barbaq;  
maiore

maiore appaream, & canos capillos atramento ma-  
 defactos ostendam, galerum sarracenicum assumam,  
 oculum sinistrum fasciola nigra obturabo, cophinum  
 anisi & Dauci manibus gestabo, spero Deum mihi  
 propitium futurum, quandoquidem fortuna magis  
 quam culpa me calamitosum reddidit. Ego per scalas  
 cochlides descendo fugam quaerens, tu creditores uoca  
 ut, ascendant, statim, uale. Comprau alcarauia, mata  
 galuga, mostalla. TVR. Vah, dispeream si quicquam  
 uidi iucundius affirmant a dynatum esse simul sorbere  
 & flare, at mihi facile est simul ridere, & lachrymas  
 effundere calamitas herilis moerorem excitat, nouus  
 ille cultus & admirabilis industria mihi risum pa-  
 riunt, sed creditores adsunt uolo aufugere ne ipsi  
 hero meo irati produci me atq; in carcerem condi  
 iubeant.

PHASGANIVS frater. MARCELIAE.

ROCAMVNDI. CANDRAMON,

& alij milites.

**Q**uid ais Rocamundi expugnabimus ne aedes  
 Chremyli an ignibus iniectis efficiemus, ut do-  
 mus ipsa ardeat, & ille uel inuitus comburatur. ROC.  
 Ut uoles: ego sane his rebus pascor, his delector, his  
 perfruo, hunc uero potissimum perditum uolo quo-  
 niam eum cum cuncta ciuitas occidit, & nemo bonus est, nemo  
 ciuis qui eum non oculis fugiat, auribus respuat animo  
 aspernetur, recordatione denique ipsa tam infelicis  
 coniugij perhorrescat. PH Quid tu dicis mi propin-  
 que. CAND. Haec ego semper de Chremylo expetui,

haec



*hæc optavi, hæc precatus sum, plura etiam acciderunt quam uellem, admonebam olim patrem tuum, ut generum quæreret, qualem optabat Themistocles, nēpe uirum carentem pecunia, potiusquam pecuniam carentem uiro. Sed age magnanimē Phasgani quod perturbauit pater, tu solus poteris componere cuius sola uirtus alto nixa pectore sperare, familiam nostram depressam iubet. Equidem uix somnum oculi nostri hac nocte senserunt, adeo hisce curis premabamur in lecto. Nunc uehementer gaudeo, quandoquidem sol aurato diem abduxit ore, diem inquam optatum diu, quo nostra manu soror tua amissum honorē recipiat. Utinam ita faustam & uotis meis respondentem fortunam agnoscam, ut hæc dextra uirulentū Chremyli hæurire sanguinem gestit, & uix se tenet. Vsq; hæc nox tota nihil me cogitantem præter hæc uidit: sic in illum me feram, sic inuolabo, sic mucronem pectore eandem scelesto, fortasse etiam & ipsis dentibus ceruice dira noxium caput abscindam, ut mox cruento ore in publicum prodiēs, exclamare possim, Marcellia eadem iniuriarum suarum ultorem inuenit. Sed quid mœror? sequimini? ego primus conscendo pheu nusquam apparet: metus ut uideo illi alas addidit. Reuertamur eo unde digressi sumus, nam hic frustra absentem requirimus, O Marcellia Marcellia, quam ardentem optabam tibi gladium meum adhuc Chremyli tepentem sanguine, & dextram hanc dignitatis tue iudicem omnibus ostendere. Cupiebam sanē, ut impurus ille qui furore nefario rabieq; cæcate & tuos*

uexauerat hac hac manu, atq; hoc hoc gladio con-  
 sauciatus, & omnibus membris lacer undam cruoris  
 & animam euomeret? Quid tu Phasgani, quid alta  
 mente tecum mussitas, an non eodem prorsus affectu  
 cales? loquere, nam quamuis legi in uultu potest ora-  
 tionem tamen tuam libenter audiemus PHA. Obmutui  
 sanè cùm primum uidi frustra paratos milites: nam  
 festu & ira meum rumpebantur pectus & uerba fau-  
 cibus hærebāt, nunc discedamus, & uideat unusquisq;  
 uestrum, ut cum opus erit adsit.

## MARVLVS. ALBINVS. RAPITIUS.

**Q**uid hoc Albine quænam metamorphosis est  
 hæc? an uis exprimere aliquid quod apud Oui.  
 in libris de mutatione formarum legeris. ALB. Eyu,  
 comeria si tenia que. MARC. Quid hoc, nec audis, nec  
 uides? Albine, Albine. ALB. Visus sum? ô Marulle cha-  
 rissime cogor seruire tempori, & ut aiunt, uti foro  
 nam Rapitius discipulus meus iussit ut hoc efficerem,  
 & cùm negarem me facturum dixit hodie postremū  
 me uides. MARC. Quid audio? currus bouem trahit?  
 discipulus præceptoris imperat? ALB. Sic ferunt tem-  
 pora: cùm primum ego hanc prouinciam suscepi ins-  
 tituendi Rapitium, proposuit mihi eius mater, quo-  
 nam modò uis filiū meum instituere spe an stipendio?  
 MARC. Non satis assequor ALB. Hoc uocant Hispani,  
 quereys seruir por quitacion y salario, o aguardar  
 mercedes. Credebam autem esse mihi utilius si spem  
 stipendio præponerem, sed credemihireperio omnia  
 ite apud

ita apud aulicos fucata ut possim dicere thesaurus meus carbones erant nobiles enim, aureos montes pollicentur, sed pollicentur tantum, & pedagogo preponunt eum quem habent à matulis si aliquid sit conferendum: & tandem post annorum uiginti seruitutē & operam liberis suis nauatam uix triobolare sacerdotium largiuntur. MARC. Verè dixit sapiens & sacer Propheta: nolite confidere in principibus, in quibus non est salus. ALB. Expectabam modo quietem summam quod uiderem discipulum meum relictis studijs se totum amoribus & aleæ tradere, sed præmium quod assequor est quale, & ipsi qui in aula cōsequuntur ubi enim senio confecti ad nobilitatē ostentandā: inutiles cernuntur in pistrinū coniecti farinā uehunt. Nam Chremylus senex ob æs alienum coactus est mutare solum filius uerò amore cæcus, nec patris nec me recordatur. MAR. Quid ergo expectas amplius. ALB. Audies, petebam heri, ut numos præberet quibus possem iam me in patriam recipere dixit se, & numos, & torquem auream mihi daturum modo epistolam quãdam amatoriam Octauiæ præberem, id autē erat negocium periculosum & plenum formidinis, ideoq; famuli omnes duram istam prouinciam recusabant, tandem ipse ne puellæ pater senex acerbus, aut morosa mater, aut seduli clientes non expectata morte mee uiuis discedere cogere sumpsi uestes illius pauperis qui se mutum & elinguem mentitur, ut uides saluaui Octauiam epistolã legit adfero Rapitio meo nūtiū gratissimum quæ ipse reddet euangelia nescio, deberi mihi

mihî planè uel inuitus fatebitur. Sed heus amabo dis-  
 scede nam adest Rapitius alias uberius colloquemur.  
 RAP. Audio in solitudine uersari puellam quandam  
 illam philosophi appellant Echo interea dum in hoc  
 recessu Albinum expecto ipsam alloquar, ut me cer-  
 tiorem reddat quàm sim felix in amore Octauiae aiunt  
 enim hanc uatem esse cupidinis. Heus Echo? dic, sunt  
 ne quæ de te audiui uera? ECH. Vera. RAP. Age ergo  
 hoc quod peto breuiter explica: amore crucior. do-  
 lor autem hic aut affectus, quo ita premor, ubinam  
 latet? nam eo torqueor admodum iuuenis. ECH. Venti  
 RAP. In uenis? ergo uenæ sectione emisso sanguine cor  
 meum & uenas facile liberaro. ECH. Raro. RAP. Pro-  
 digium est morbum esse in uenis & non tolli uenæ  
 sectione? ECH. Òue. RAP. Cur me asinum uocas? credis  
 me naturæ mysteria philosophico more scrutari? nõ  
 possunt hoc efficere qui amant, & ego non solùm amore  
 uerum etiam alijs nescio quibus malis uxor absentia  
 patris. ECH. Atris. RA. Si atra nosti esse mala credis  
 ne aliquando ad futurũ remedium mihi misero. ECH.  
 Sero. RAP. Quod esse remedium præsens amantibus  
 existimas cum uehementer affligantur mentis inopes  
 ECH. Opes. RAP. At opes & diuitiæ absentia patris  
 perierunt hei quisnam erit exitus amoris dum abest  
 pater. ECH. Ater. RAP. Amabo fer opem misero quam  
 doquidem tu probe nosti experimẽto, quos cruciatus  
 amor præbere soleat animis. ECH. Nimis. RAP. Istud  
 nimis, uerius de me dici potest qui plura patior quàm  
 tu. Sed eis doce me, quæ sint in hac re meliora. ECH.

ORA. RAP. Facio id quotidie, sed precibus non mouetur  
 OCTAUIA. ECH Via RAP Quam uia insisti misera  
 qui omnes tēraui, & nihil succedit ex animi sententia  
 E. 611. RAP. Thiam uel diuinam intelligis? atqui eam  
 sequor. Nam coniugium OCTAUIE, non sordidam uenerem  
 exopto. Sed dic, queso, prodest ne ordo quem  
 Albinus meus in puella ambienda seruat, an nil prore-  
 sus sua opera me adiuuat. ECH. Iuuat. ALB. Heus, heu  
 Rapiti ueni, cōcurre, huc ad me festinus propera. non  
 est tibi relictus ullus cunctandi locus Rei benè gerēdæ  
 maxima sese offert occasio quā si Raptius es oportet  
 protinus arripias quid hoc obmutuit sane uereor ne  
 quod medici affirmant in meo Rapitio uerum esse  
 contingat nempe, ut nimio gaudio suffocetur reuiu-  
 scit iam salue cupidinis nepos adonde felicior tanta  
 commoda tot fortunæ in hac tua causa concurrunt,  
 ut iam mihi macra quædam salutatio uideatur illa  
 qua antea utebar Lubet uerò magis, ut salutando, si-  
 mul te amplectar & osculer: ut qui scilicet alacri ani-  
 mo graduq; minimè torpenti ad te accedam quid  
 queso agebas in hac solitudine, cur solus loquebaris  
 uerebar ne te occurrēs aliquis insanum esse crederet.  
 RAP. O superi uigilio ne an per quietem Albinum  
 felicia nunciantem ausculta? per annos quatuor OCTA-  
 uiam meam duram, & adamantinam expertus sum pre-  
 cibus meis non magis mouebatur quam cautes mara-  
 pestia unde hoc ut tam facile cōmutetur? ALB. Nonne  
 multis ictibus deijcitur quercus nonne meo colloquio,  
 tua epistola, muneribus, & coniugij nomine flecti eam  
 potuisse

potuisse censes? adde & patris sæui, ac truculenti  
 immanè facinus, qui ut exigua dote eam foras eijceret  
 & filium suum locupletissimum efficeret: Italum quen-  
 dam non solum peregrinum, sed etiam ignotum ges-  
 nerum delegerat. Illa uerò meo consilio, & precibus  
 commota te ciuem suum peregrino præposuit. RAP.  
 Albine tuus est hic torquis aureus tua uilla quam pos-  
 sideo in agro Carpesiano. ALB. Sumo perlibenter mi-  
 Rapiti. RAP. Plura etiam dabo postea, tam gratum  
 enim est quod narras, ut credam dotem maternã exi-  
 guum quiddam esse, quo tibi satisfaciam. Sed narra  
 obsecro omnia, ut ista suauis narratione ueterem mœ-  
 rorem eijciam. ALB. Vides hasce uestes & cultum ad-  
 modum alienum à uitæ meæ instituto recipiamus nos  
 in ædes, & narrabo quanta diligentia negotium hoc  
 absoluerim quid ibi difficultatis repererim & quonã  
 modo eam rapere possis alioqui, uel inuitam pater  
 sæuis peregrino tribuet.

TREBATIVS. IABOLENVS.

LABEO. SABELLICVS.

**V**Ocamur ergo Iabolene charissimè, & fortasse  
 uocamur ad mortem. IAB. Nil tale timeas, ami-  
 citiæ leges seruamus, nihil mali accedet. Vides in re-  
 bus afflictis fidos amicos expeti, qui uel re opitulètur,  
 uel consolando molestiã mitigare possint. Ideo acutè  
 Diogenes, cum Antisthenem morbo decumbentem  
 inuiseret, dixit. Nūquid amico est opus? Rapitius una  
 dis

diq; calamitatibus obrutus amicorū opem imploras.  
 TREB. Nos ambo per annos quatuor nunquā ab eius  
 latere diceſſimus, noctes per multas æſtate & hyeme  
 inſomnes duximus, dum ille in uico Octauia oberrat,  
 modo poſt tot labores ultimum parat excidium? IAB.  
 Omem abſit: non erit excidium. TREB. Reuoca in men-  
 tem, quid Troiæ raptæ Helena abtulerit, quid Cadno  
 erepta ſoror, quid alijs ſexcentis quos celebrant hi-  
 ſtorie. IAB. Ego omnia incōmoda perpeti malo, quā  
 amicū reflante fortuna deſerere. Me hoc docuit Ni-  
 cocles ante Phocionem uenenum hauriens, & Anylus  
 Alcibiadis ſuperbiam, humanitatem uocans. TREB.  
 Age igitur, quiſnam erit modus hiſce rebus? aut qui  
 comites, deterrebitur ne puella? IAB. Iſthæc omnia  
 Sabellicus oſtendet. Age tu ordine rem omnē expone.  
 SAB. Heri noctu, inſtante iam Gallicinio, Rapitius ue-  
 ſtibus hoſericis & holobrizis ornatus, ambram &  
 moſchum olens me in uili & agreſti, lecto decumbentē  
 amplectitur ſe mihi in omnibus patronum futurum  
 pollicetur, ſi meā operā in cōiugio quod parat uelim  
 concedere ipſe ſuſpicabar cōpoſita eſſe omnia, & de-  
 ſiderari ramos tiliæ, pulegiam, ageratum, uirentem  
 harundinem, quibus agricolæ conſueuimus nobilium  
 domos ornare quando illi feſta fronde populo dome-  
 ſticas nuptias patefacere cōſtituūt. Liberaliter ergo  
 polliceor: ille meam dextram comprehendens ea gra-  
 uitate quæ ſolet, dixit, andad aca que vos ſoys a fe de  
 cauallero hōbre de bien: deinde in Tugorioli angulo  
 mihi apperit omnia ab ouo, quod aiūt Troiano nar-  
 rationem

salutationem exorsus quæ tanquam uobis nota præter-  
 mitto ad extremum ait se heri crepusculo uespertino  
 Octauiam allocutum & rem eo deductâ, ut cras hora  
 tertia pomeridiana Rapitius eâ Rapiat. TREB. Quid  
 audio in tam magna urbe frequenti populo in ædibus  
 tot famulis, militibus, Clientela, & numerosa turba  
 instructis facinus tantum aggreditur Rapitius, uæ  
 nobis, uæ illi? SAB. Audi reliqua: ueteri more receptum  
 est inter agricolas qui uineas & oliueta patris Octa-  
 uie colimus quotannis Calendis Ianuarij herum no-  
 strum salutare & munera illi præbere omnis boni  
 gratia. Ille stans in uestibulo ædium, munera nostra  
 seu strenas eodem modo excipit, quo Romanus Im-  
 perator Caligula solebat excipere. Deinde nos uiridi  
 amictu, personati agrestes Faunos imitamur, & sal-  
 tatione mimica, aut si mauis, bayle de momos, Octa-  
 uiam exhilaramus, ut possumus. Fiet nunc etiam Ra-  
 pitius personatus nobiscum, & uestes quasdam uirides  
 adferet quibus Octauia ornata patrem fallat & per-  
 sonata nobiscum discedat. Tu Iabolene ad portam  
 Serranorum expectans celeri equo puellam assames  
 Trebatius autem si quid tumultus excitatur militum  
 manu stipatus opem feret. TREB. Eia igitur ito bonis  
 auibus Sabellice dic Rapitio parata esse omnia: SAB.  
 Valet. TR. Heus Labeo quid credis de futurum mihi.  
 LAB. Nihil planè aderunt mihi amici tui permulti  
 qui iampridem desiderant occasionem dari qua pos-  
 sint arma capere, & uoluntatem suam ad quidam  
 obsequij promptam ostendere. Ceterum de apparatu



non est quod labores non deerunt hastilia tela iacula  
 Clypei cassis Galea thorax enses gladij ocreæ hasta  
 perticæ arcus lapides quibus facile possis ornare mi-  
 lites grauis armaturæ ensiferos peltatos uelites fundi-  
 tores, sagittarios, hipporoxotas, hastigeros, calones,  
 equifones. TR. Mane mane, credisne parari nobis bel-  
 lum in Mauritaniam? fortasse hisce opus non erit dis-  
 scedamus Labolene.

OCTAVIA. DIPHILA. RAPITIVS  
 personati. SOLINVS LACTANTIVS.

**P**Ratorum uiriditatem, arborum ordines, uinea-  
 rum & oliuetorum, speciem multum ad oculos  
 exhilarandos conducere audiui. Sed in hoc morbo  
 quo torqueri misera incipio, exiguum adiumentum  
 in hortis, pomarijs, florum uarietate cōperio. Quid  
 censes mea Diphila futurum? nam ego spero, breuis  
 mortem ad futuram, nisi moeror animi, quod premo-  
 aliquo medicamento tollatur. D. Absit herasne quæso,  
 ita animo consterneris, habet pater tuus opes, quibus  
 uel ab ipsa India medicamenta exiguo tempore ad-  
 duci queant. OCT. Cantillemus paulisper, fortasse  
 musica delinitus animus liberabitur & affectus hy-  
 pocondriacus conquiescet. DIP. Non recuso, incipe.  
 OCT. Heu, quid hoc? affirmat uulgus Cantilena tristi-  
 tiam omnem expelli, & mihi cantu morbus augetur?  
 ô infelicem Octauiam? ô infelicem patrem qui futu-  
 rum malum præuidere non potes. DIP. Vis ut exoletū

Dest Can-  
 tilena Hi-  
 spanica.

tuum uocem qui cythara & crepitaculis uulgo uocan-  
 tur, follias, o sonajas te mestam exhilaret? OCT. Ito ad-  
 feriam quæ uoles. DIP. Vale. OCT. Desiderabam sanè  
 hanc solitudinem quoniam morbus meus illa quodam  
 modo uidetur leuari, & dum adest puella uereor ne  
 cōiecturis amorem esse cognoscat, & matri meæ rem  
 omnem aperiat. Heu misera, quid dicent affines mei  
 quid uicini ubi meam fugam agnoscent? ubi nunc cro-  
 bra ieiunia? ubi preces assidue? heu Rapiti, tuo aspe-  
 tu; tuis precibus tam importunis, tuis epistolis tam  
 acutè excogitatis, & hæc omnia delere, & animū meū  
 expugnare potuisti? quam uerè possum cum Medea  
 exclamare uideo meliora proboq; deteriora sequor.  
 DIP. Adsumt exoleti duo amabo moerorem istum qui  
 te lacerat & conficit profligare nobiscum enitere.  
 Eia uos pueri solita dexteritate industriam in hac re  
 heræ nostræ ostendite. Non deerunt uobis præmia, si  
 uestra diligentia heræ mea ueterem lætitiā recipit.  
 OCT. Vereor sanè ne hic frustra suscipiatur labor.  
 Vellem ageretur res pressis & flebillibus modis, qui  
 ædibus nostris mœstitiā inferrēt. DIP. Quid tacita  
 loqueris. OCT. Nihil planè pergitte pueri. SOL. Vis  
 heræ uersus illos nuper inuentos? LAC. Valeant nunc  
 ista obsoleta. SOL. Obsoleta? Nonus agitur mensis ex  
 quo inuenta sunt carmina & obsoleta uocas? LAC. *Dest Cas-*  
 Amice inter hasce hōdas & carmina grauiora, quæ *tilena Hi-*  
 uulgo appellantur motetes, & inter automata uulgo, *spanica*  
 phantasias appellata eadem lex seruatur à cātoribus,  
 quæ à passerculis hos enim ante mensē nonum uo-

camus senes habent enim minimum uitæ. SOL. Vndè hoc nosti? LAC. Vicinus meus Plinius dicebat mares anno diutius non durare. Argumentum hoc addebat quia nullus ueris initio apparet nigroꝝ in rostro quæ ab æstate incipit. SOL. Falleris cum tuo Plinio, aut potius ambo tota erratis uia. Nam si breuis esset uita passerulo, ut uos dicitis passim occurrerent cadauera. At corui, aut passeruli cadauer nusquam inuenio. DIP. Tacete malū, quis uos philosophos effecit. Hera adest Sabellicus, & reliqui agricolæ qui quotannis solent se suis rusticantibus saltationibus exhilarare, & opibus rusticis augere. OCT. Hei, hei. DIP. Morbum hunc non intelligo, quod antea uehementer expetebas, nunc tam odiose prosequitur?

Personati saltatione nimica Octauiam exhilarant.

OCT. Satis, ut uideo, spectasti hæc omnia Disphila: uidisti saltantes nūc propera, & cōpone Gynecæum nostrum, quo hi omnes sedētes corporibus suis quietem tribuant, parato dulciaria, placentas, striblitas, & artolagana. DIP. Vix poterit hoc famulatriensis intra horā conficere. OCT. Conficiat intra sex, aut septem. DIP. Quam timeo negotium hoc, quod sum euadat.

CHREMYLVS. SOLINVS.

LACTANTIVS. ASTROLOGVS.

Quid narras Soline? coniectus est in carcerem Rapitius? SOL. Sic est. CHR. O factum male? ô fortuna

O fortuna quibus supplicijs me reseruas? amisi bona  
 omnia, ueterem dignitatem, nomen boni uiri, nunc  
 bandē quod uxor seruauerat in carcere consumetur?  
 Sed cur tu non manes apud Octauiam? SOL. Quis  
 nusquam apparet, & illius pater Diphilā ac nos duos  
 querit, ut in carcerem cōijciat. Sibi enim persuadet,  
 nos tres autores esse tāti facinoris. Mallem profectō  
 in Cambysē, aut Phalaridem, uel Alexandrum pho  
 ræum incidere, quam in patrem Octauiae. Mater au  
 tem nō multum differt ab ea, quae mulierum mammās  
 uolenter auulsas in publico suspēdebat. CH. O Rapiti  
 quam infelicem senectutem tua causa consequor, in  
 terfecit Ozias patrem, id ipsum quoq; Syrochus, Hez  
 raelius, & Nicomedes nefario conatu praestiterunt.  
 At illi necabant patrem cruciatu subito, tu uerō pro  
 lixa morte me miserum enecas. Utinam Astrologum  
 aliquem reperire possem, qui mihi praediceret, quale  
 fatum expecto, uereor enim, ne tot malis oppressus  
 cogar laqueo uitam finire. SOL. Conuerte oculos, &  
 uidebis quod desideras: Lusitanus ille, qui nunc can  
 tillat astrologus est. Heus bone uir. ASTR. Lo lo lo,  
 fa la la lan. CHR. Amice inspice, quaeso, incisuras man  
 uum, ut possis quae expecto praedicerere. AST. Si nihil  
 attuleris, ibis Homere foras. CHR. En praebeto tibi  
 drachmam. ASTR. Ora dio ti la mandi bona. Crede  
 autem, quaecunq; dixero, futura uerissima, si Deus uo  
 luerit. Ego multa admiranda ciuibus meis passim  
 ostēdo, & superioribus annis uenientē à Mauritania  
 pestem praedixi. Dimisiq; circa urbes discipulos, qui

insinuanti se malo occurrerent. Apud Alonem Onu-  
 stam nauem solus traxi, quo uolui: cum homines per-  
 multi ne mouere quidē suo possent loco. Si bota deus,  
 si bota deus, & audacter polliceor me, si alterum to-  
 tius terræ globum adipisci possem, utrumq; alteri ap-  
 plicaturum. Est etiam mihi domi lignea columba, à  
 me certa ratione compacta, & quæ aerem semel sor-  
 dita perpetuò uolatu per ipsum inane spiritu intus  
 incluso agitur, nisi solidum aliquod corpus offendat.  
 Si bota deus, si bota deus. SOL. ñafete sebofo. ASTR.  
 Que fallays. CHR. Nihil prorsus eia manum inspicere,  
 ista prætermittite. AST. Habeo etiam canem dialecticū.  
 SOL. Hic cum insisteret uestigijs leporis, qui nusquam  
 uidebatur, & perquirens uenisset ad fossā, dubitabat:  
 utrum dextrum: an sinistrum iter insequendum lepo-  
 rem susciperet. Vt uerò primum sibi uisus est, tāquam  
 differendi peritus, satis rem perpendisse, è uestigio  
 fossam, recta iter faciens, transiliuit. Hic, ut uideo,  
 dialectico more perpendens omnia iter absoluebat.  
 Argute enim secū reputauerat. Vel hac, uel isthac, uel  
 illac lepus in fugam se coniecit: Deinde syllogismum  
 necebat Nō profectò hac, nec isthac, ergo illac fugit.  
 Neq; fallacibus conclusumculis mihi errare uideba-  
 tur. Nam non perceptis citra fossam ad hoc, uel illud  
 latus uestigijs, relinquebatur, leporem fossā transisse.  
 Recte igitur canis fossam transiuit. Si bota Deus. CH.  
 Aut me prorsus eneca, aut quod peto, breuiter absol-  
 ue. AST. Hæc linea mensalis usq; ad montem Mercurij  
 producta indicat, te in mensa mercatores multos tuo  
 splendido

Splendido conuiuio exhilaraturū intra dies quatuor:  
 & hæc linea uite inter alias cæca monet, ut hic maneat,  
 donec cæcus quidam occurrat, da operam, ut  
 cæcum illum uel inuitum ad ædes tuas recipi cogas,  
 plura scire tibi datum non est, uale, &c.

## FRAGMENTORVM FINIS.

LAURENTII PAL-  
 MYRENI ORATIONCVLA  
 Valentia habita 1563.  
 mense Decembri.

Libros uarios adolescentibus noxios non esse.



Igesimus sextus nunc mensis  
 agitur Magnificè domine  
 Rector, auditores clarissimi,  
 ex quo relicta Cæsarauguste,  
 Valentini Senatus decreto  
 profectus in hanc eruditissimam  
 ciuitatem, arduam ac  
 difficilem prouinciam Græcè  
 Latineq; profitendi, uacuum quodam modo & ab  
 alijs desertam multorū rogatione suscepi. Quo toto  
 tēpore duabus à me ex hoc loco habitis orationibus,  
 neminem, neq; priuatum, neq; magistratum huc inui-

eatum fuisse, omnes testari possunt, qui nos audierunt  
 eorum eram cōtentus frequentia, qui nostrorum stu-  
 diorum causa in hunc locum uenissent: quos si adhor-  
 tando, admonendo, quantum in me esset, ad hæc præ-  
 clara studia impellendo, iam pene amissam disciplinã  
 ueterem reuocare, ac referre conatus essem, satis me  
 huic mihi demandato muneri fecisse arbitrabar.  
 Vocare uerò alios, uel ambitionis, uel fauoris, uel u-  
 triusq; rei causã, uehemēter à natura ipsa mea, meoq;  
 iudicio abhorrebat. Vos autem Academici proceres  
 facile hodierno die in hunc locum uenire sum passus,  
 tum quod graui constantiq; iudicio literis bonisq;  
 artibus impense fauetis, tum quod in hac mea causa  
 difficili, & controuersia noua à studiosis quibusdam  
 cōtentionis cupidioribus excitata, uos sumpsi iudices  
 quos citra ullam dubitationem integros, seueros, sum-  
 ma religione, non solum in hac causa, sed in omnibus  
 alijs fore confido, nimirum quales in oratione cōtra  
 Neeram exoptabat Demosthenes, aut quicumq; ora-  
 tionem illam conscripsit. *Δεῖ δὲ ὑμᾶς ἐξ αὐτῆς τῆς  
 ἀληθείας τὴν ἀρίστην ἀκέραιαν, τῆς τὲ κατηγορίας, καὶ τῆς  
 ἀπολογίας, ὅπως ἠδὲ καὶ τὴν ψήφω φέρειν ὑπὲρ τῶν θεῶν,  
 καὶ τῶν νόμων, καὶ τῆς δικαίας, καὶ ὑμῶν αὐτῶν.* Præsertim  
 cum uideatis, aduersarios meos nil aliud agere, nihil  
 habere in uotis, nisi ut omni ad ueram eruditionem  
 aditu obstructo facile possint desidie, atq; inertia  
 suæ patrocinia comparare. Ego sanè illos sapientes  
 iudico, illos perpetuò laudauī, qui beatam uitam glo-  
 riosis, ac illustribus factis ad perennē nominis laudē.

Vos autē  
 decet ipsa  
 ueritate  
 ex accusa-  
 tione (t)  
 defensione  
 perfecte co-  
 gnita sic  
 demū fer-  
 re senten-  
 tiam pro  
 alijs, pro  
 legibus,  
 pro iusti-  
 tia pro ue-  
 bis ipse.

non in arida steriliq; uirtutis imagine, sed in nobiliū  
 operum emulatione posuerunt. Ad hoc institutum  
 auditores meos uocare, & impellere quotidianis præ  
 lectionibus soleo, eos monens, ut si quid præclarum in  
 studijs efficere uolunt, nuntium remittant corporis  
 uoluptatibus: illasq;, ut omnium honestorum factorū  
 acerrimas aduersarias magnopere caueant: autores  
 uarios legant, qui & linguam, & mentem ualeant  
 expolire. Hæc ita meos aduersarios commouent, ut  
 quotidie epistolas ad me mittant, nō calamo, sed ra  
 bie, non atramento, sed ueneno, non in papyro, sed in  
 atrabili conscriptas. Adsum ergo auditores clarissi  
 mi, aduersarijs meis & obtrestatoribus, deo duce, re  
 sponsurus. Vos oro, ut me attentissimis animis, summa  
 cum benignitate audiatis. Breuiter enim meo more  
 ostendam, uariorum librorum lectionem noxiam non  
 esse, ut isti uolunt, sed adeo necessariam, ut qui ea de  
 stitutus fuerit, eruditi nomen nulla prorsus humana  
 uia consequatur. Sed ut id possimus, & simpliciter,  
 & candide præstare, recitabo istorum uerba, quibus  
 non solum institutum nostrum labefactari, planeq;  
 conuelli putant, sed etiam suū stabiliri, & nodo quod  
 aiunt herculano cōfirmari. Audietis uerō hosce, non  
 tantum oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cera  
 micibus: sed etiam durissimis metaphoris, aggressi  
 sermone talia iactantes. Dicit Seneca nusquam est,  
 qui ubiq; est. Qui perpetuò peregrinatur, multa hã  
 bent hospitia, amicitias nullas, non prodest ciuis, qui  
 statim uomitione reijcitur. Nihil æquè exoptatam  
 aletus

Et quid  
 multos li  
 bros legie  
 nusquam est



valetudinem perturbat, ac medicamentorum crebra  
 commutatio. Turpe est seni, aut proſpicienti ſenectus  
 tam ex commentario ſapere, multos habere libros,  
 multos autores euoluere, inſtabile & uagum eſt, in-  
 conſtans etiam lector, qui tanta multitudine huc atq;  
 illuc uocatur, faciendi plures libros nullus eſt ſinis. Ve-  
 terum ſcripta meliora nouis. Plures nunc ſunt artium  
 liberalium ſagaces ac methodi quam ipſarum ſtudioſi.  
 Hec & alia id genus magno cum faſtu decantant iſti  
 apud imperitam iuuentutem, quibus factum eſt, ut iam  
 nec auditores Dialectici, nec qui linguas ediscunt,  
 libros aliquot legant, aut geſtent in manibus, niſi illum  
 quem à præceptore ſuo publice enarrari uident, hinc  
 torpor & ignauia ipſos ita occupant, ut ſe potius læ-  
 guori & deſidia, quam liberalibus diſciplinis dedant.  
 Cum enim in academia felices aſſequantur magiſtros,  
 quorum dexteritate omnia facilia redduntur, domi  
 uerò nullum habeant interpretem, pro interprete folia  
 luſoria pilam palmariam, aut his peiora aſſumunt.  
 Dicebat olim M. Cato, ſe uehementer mirari, quod non  
 rideret aruſpex, quoties aruſpicem uidiſſet: ſenties hoc  
 genus diuinationum, nihil aliud quam meram, ut ita  
 dicam, impoſturam eſſe. Ego quoq; uehementer miror  
 iſtos philologiae, & uarie lectionis oſores ſeu potius  
 deſidia amatores, non ridere ubi recordantur ſe iu-  
 uentutis imperitæ patientia abuti. Date operam quaeso  
 uiri clariffimi, ut tale genus hominum, uel ſententiam  
 mutet, uel à ſcholis arceatur. Idioſum nunc præſtate,  
 quod olim in proſtigada ſophiſtica ac barbariæ præ-  
 ſtitit.

stititistis. Nā quæ tempestas Deum immortalē, quæ  
 flamma, quæ vastitas, quæ pestis Academia fuisset, nisi  
 incredibilis vis, ac diuina virtus uestra, & ualentis so-  
 phisticæ conatū, atq; audaciam compressisset? Disce-  
 dant, discedant procul, qui ignauie trophæum tā tur-  
 piter in hac Academia uolunt erigere. Nam si Ro-  
 manis inutile erat Carthaginem deleri, quanto inuti-  
 lius erit adolescentibus Valentini illustri ingenio &  
 industria præditis, occasionem laborandi auferri?  
 quid agent celeres ingenij motus ad excogitandum  
 acuti, ad explicandum ornandumq; uberes, ad memo-  
 riam firmi, atq; diuturni? nam ubi uident sibi satis co-  
 gnita esse, quæ in Academia audierunt, eadem domi  
 iterum tractare nequeunt, & si id aliquando efficere  
 coguntur, satietas & fastidium studium omne pertur-  
 bant. Nam, ut inquit ille, omnibus in rebus similitudo  
 est satietatis mater. Varietate uerò uitatur satietas,  
 quam cum lectione interpretum assequi non possunt,  
 ad uoluptates, & lusum ingenium omne conuertunt.  
 Volo ego adolescentes non parere corporis uolupta-  
 tibus, semperq; illi ipsi rei quæ urget toto pectore in-  
 cumbere. Sic enim Diphridā Laconū ducem semper  
 instructum paratumq; depingit Xenophon ἡρῶν δὲ  
 ὁ ἀνὴρ ἰσχυρὸς ἔχ' ἔργον τὸ δὴ μὲν ἔργον ἔργον τὸ σω-  
 τεῖσθαι μὲν ἔργον ἔργον τὸ σω-  
 τῶν αὐτῶν αἰ τὸ σωματὶ ἡδοναί, ἀλλ' ἀπὸ πρὸς δὲ ἔργον ἔργον  
 τὸ τοῦ ἔργου. Nos igitur, ut possimus adolescentes ab  
 ignauia tutos reddere, imitamur medicos, qui eūdem  
 cibum uaria ratione excōctum egrotanti præbent,  
 ne lass-

ne languens uētriculus fastidio, aut nausea perturbetur. Tradimus publicè auditoribus nostris ea, quæ ad inuentionem oratoriam de causis, effectis adiunctis, & comparatis docuit Cicero. Monemus ut intra priuatos parietes adolescens Goueanum, Conradum Neobarum, Petrum Ramum, Gerardum & similes consulat, in illa collatione uoluptas est mira, & iucunda, ac suauiter adolescentes audita prælectionis meminuerunt. Sic pugnancia, uel dubia, uel contraria tolluntur. Sic cauemus ne adolescentulorum feruens studium frigescat, aut tandem languescat industria. Hoc autem nec temere, nec cōsilio tantum nostro freti præstamus, duces enim habemus insignes Guilhelmum Budeum de formando studio, Cælium secundum de perfecto grammatico, sed quorsum hæc omnia commemoro? age, nosti duas esse oratorum nostra etate familias, quidam enim unicum Ciceronem imitanda esse confirmant, alij Erasmus tanti faciunt, ut illius libris pascantur, delectentur, perfruatur. Aperi tu iam quomodo in numero uelis recenseri. Nam si dicas te Ciceronianum esse, tuo quemadmodum dicitur gladio cōficeris. Ciceroniani enim omnes hoc ipsum quod facio, me docent, quales sunt Paulus Manutius, Conradus, Sigonius, Lazarus Bonamicus, Romulus Amasæus, Achilles Bocchius, Riuius, Maioragius, Albericus Longus, Grifolus, Basilius Zauchus, Michael Brutus, Petrus Angelius Bargæus, Luysinus, Muretus & Labinus. At si Erasmi autoritatem, uocem, sectam, stylum sequi, uerius quam consequi desideras, cur non legis quod

quod ipse in libello de conscribendis epistolis scrip.ũ  
 reliquit, ubi ostendit quis sit modis repetendæ lectio-  
 nis, agnosces profectò Sibyllæ folijs ueriora esse quæ  
 diximus. Adducam uerò ipsius uerba ex libello de ra-  
 tione instituēdi discipulos ad Petrum Vuerium, quæ  
 sic habent Pueri & adolescentes ubi iam ex prælea-  
 ctione præceptorum amare literas ceperint, & in-  
 tellectos autorum libros amplecti libentius, ipsi non  
 contenti præceptorum prælectione, succisius horis  
 plura uelut rapto subducentes ac furtim, legere stu-  
 debunt, quorum auiditatem præceptor acuet, & quos  
 primum cognoscere libellos oporteat, indicabit. Au-  
 dis hunc? audis etiam Lodoicum uiuere in libris de  
 Disciplinis tradentem, quos libros præceptor publicè  
 enarrare possit, quos adolescens intra priuatos parie-  
 tes legere debeat? Cur ergo te Ciceronianũ, uel Eras-  
 mianum uocas, si horum uexilla deseris, castra con-  
 temnis? an tu solus uides quæ tanti uiri non uiderũt?  
 Cur quæso meum institutum condemnas? cur ea quæ  
 laude digna sunt uituperas? Ego si declamandum est,  
 ne adolescentes onus eijciant, soleo illis succumbenti-  
 bus, & iam oppressis onere, uarijs modis subuenire.  
 Ostendo ex quibus libris similia, exempla, sententias,  
 comunes locos, & alia id genus ad confirmandum, aut  
 refellendum possint educere. Nec curo, sint ne autores  
 ueteres, an ex his qui hodie uiuunt, modo libri sint &  
 pietate & doctrina illustres. At dicis, quorsum opus  
 est nouis libris, quum uix ueteres possimus legere, &  
 illorũ copia obruamur? Cicero & Aristoteles docti  
 fuerunt

fuerūt, nec libris erant onusti, nec hos novos uiderūt. Ego uerò longè aliter sentio, & doctorum iudicio hæc, quæ quotidie excuduntur, necessaria admodum sunt: quoniam ad artes ediscendas propè innumerabilibus sumus præsijs, quibus superiora abundarunt secula destituti. Vbi enim Philosophi sunt illi, qui & ante, & post Platonis tempora cum naturæ tum morum rationem diligentissimè inuestigarunt? quorum tam magnus extitisse numerus traditur, ut, quemadmodum milites in cohortes, sic illi in diuersarum sectarum quasi quasdam acies secernerentur? Vbi tot oratores, tot poëtæ, tot iuris legūq; consulti? Vbi tot rerum gestarum, atq; annalium, & historiarum scriptores ornatissimi, qui clarissimorum regum, & potentissimorum populorum facta Græcis, & Latinis literis consignarunt? Vbi deniq; reliquarum artium inuentores propè infiniti? C. Plinius maior, qui nobis monumentum illud unum industriae suæ pro tot illis antiquorum milibus tradidit, ostendere potest quanta tunc Romani & Græci librorū copia abundauerint, quanta nos æqualesq; nostri eorundem inopia urgeamur. Idem Plinius hunc istis errorē eripiet, qui nimis magna se eorum ubertate deflaere arbitrantur, non intelligētes, quàm fæde omnia, aut inimicæ uetustatis iniuria labefecerit, aut imperitorum sæculorum incuria deformarit. Mille & quingētos autores à Iulio Polluce citatos in Onomastico reperio, totidem à Stobæo in Græcorum sententijs, multos etiam in parallelis Plutarchi, quorum non solum libri, sed nec li-

brorum

Erorū fragmenta ad nostra secula peruenerūt. Quos  
 etiam à Galeno, Aetio, Tritthemio, & alijs citantur,  
 quorum sola nomina cognouimus? Pretermitto Aria  
 stotelis, Platonis, Homeri, Orphei, Thamiræ, & similia  
 illum interpretes, ne molestus sim. Hoc unum possum  
 uerè affirmare, hisce nouis libris, modò non sint à Lu  
 terianis conscripti, antiquæ & uenerandæ uetustatis  
 expetitos Thesauros nostræ ætati ac seculo patefieri.  
 At dices? libros ueteres euoluendos esse cōcedo, istos  
 novos tanquam aniles nugas è medio tollendos puto,  
 quoniam nihil adferunt boni, & in illis nullū est di  
 ctum, quod non sit dictum prius. Quis quæso tam in  
 gratum animum, tam impudentem sermonem æquo  
 animo pati possit? tam indignas in bonos autores cō  
 tumelias perpeti? Equidē ego in ea semper opinione  
 fui, quam uiuo nunquam extorqueri mihi patiar, ut  
 qui bonos scriptores, qui nobis & benè dicendi, &  
 bene uiuendi sapiendiq; fontes aperuissent, modestiæ  
 omnis & pudoris obliui, parum reuerenter tractarēt,  
 eodem loco, quo qui parentes uiolassent, habēdos esse  
 existimarem. Itaq; cum infelices isti a deo petulanter  
 & propemodum furiosè in nostræ ætatis scriptores  
 debacchentur, sic commotus & concitatus sum, ut si  
 me iudicæ tanta temeritas animaduertenda esset, cui  
 leum aliquem literarium, cui insuti silentio perpetuò  
 militarentur eis paraturus fuero. Age si Cicero ha  
 bebatur Bibliothecam multorū nummorum, ut decimo  
 tertio Epistolarum ad familiares ostendit, cur ipse  
 tot libros confecit? nōne scit erat ab alijs confectos

legere, nouos eijcere? nimirū ostendit nobis ipsa etas,  
 uerissimū esse quod à sacrosanctis theologis dicitur,  
 non est abbreviata manus domini, & quemadmodum  
 olim benè nata ingenia libellos Reipublicæ utiles pe-  
 pererūt Dei auxilio, sic nostro seculo potens est Deus  
 excitare ex lapidibus istis filios Aristotelis & M.  
 Tullyj. - Experti sunt hoc medici, qui labore Andrea  
 Vesaliij, Fallopij, Maranthæ, Leoniceni, Fuchsi, Ar-  
 genterij, Manardi & Syluij ea hodie cognoscūt, quæ  
 olim, nec Galenus, nec Aetius, aut Arabes agnouerūt.  
 Memoria patrum nostrorū omnes pleuritide affecti  
 uenæ sectionem letalem, ac uerè mortiferam fuisse sen-  
 serunt: at hodie libri noui ostenderunt uenæ sectionē  
 per catixin saluberrimam esse. Herbae olim ignotæ, li-  
 bris nouis agnoscuntur, & earum abdite facultates:  
 ut, escorsonera. similax aspera radix china, & lignū  
 Gaiacum. In Cosmographia, in Mathematicis omni-  
 bus, ostendere possem errores ueterum libris nouis  
 emendatos. Quis autem credat ueteres errare non  
 posse? Hoc sanè neq; alicui facile contingit, & maius  
 est, quam ut cōuenire in humanā fragilitatem queat.  
 Simplicius, Ammonius, Themistius, Psellus, acuti &  
 diligētes interpretes saepe tamen libris nouis Martini  
 Borrai, Scheggij, & similium reprehenduntur. Sequa-  
 mur ergo quod dixit Plinius nullum esse tam malum  
 librum, ex quo aliquid fructus capi non possit. Et quo-  
 niam in utriusq; linguæ scriptoribus multa, uel tem-  
 porum, uel hominū culpa, corruptè & deprauatè legi  
 cernimus, eaq; res, uel non animaduersa errorem, uel  
 animade

animaduversa molestiam, & difficultatem legentibus obijcere solet: eius incommodi partem aliquam candidè à nouis scriptoribus sublata esse patiamur. Illis gratias agamus, quod tanto labore autores ueteres mutilos, laceros, corruptos euanescentibus literis, descriptos ab hominibus imperitissimis, sua industria purgatos Typographis reddiderunt. Agamus gratias Calepino monacho Augustiniano, sed multo maiores illi qui Calepini errores sustulit. Agamus gratias Guilelmo Mayno, Ioanni Harthongo, Adriano Iunio, & alijs quorum opera Lexicon Græcum, & illustratum & locupletatum cernimus: sed maiores illis qui horum negligentia falsò interpretatas uoces emendarunt. In onomastico Gesneri sic legitur: Renunciata insula est de qua Plinius. id ipsum quoque legabatur ab hinc triennium in Calepini Lexico: sed modo in eodem Gesnerū reprehendi uideo, quod Participium insulā fecerit. in Lexico Græco ἀποβαπίζω distinguere significat, at in Thesauro Græce Linguae seu Lexico nouo, ἀποβαπίζω immergere, & perfundere significat, quod Dioscoridis exemplo confirmatur. Scripsit nuper Robortellus falces murales in Commentarijs Cæsaris nemini cognitæ, nec ulla diligentia cognosci posse: Scribit modo Carolus Sigonius, illas omnibus notas esse, & hoc euidentissimis argumentis confirmat. Sed amens sum, qui tam longa oratione quod apertum omnibus est ostendo. Credite mihi adolescentes Valentini: legendi sunt libri & ueteres & noui, nam sine libris quis speret, se magna-

Ut nuper  
Robertus  
Constanti  
1518.



rum rerum scientiam adepturum? Quod si hæc quæ diximus animū uestrum minime permouent, uos profectò uel non ultrò pulcherrimo studio gerendarum rerum inflāmatos, uel ignobili ocio defluentes, Trophæa Bethica uicinæ gentis excitabunt. Concedunt sanè Bethici uobis palmam sermonis Latini, sed eruditionem uestram contemnunt, despiciunt, pro nihilo putant. Agite ergo? uires aduersus ignauiam assisnite. Spero enim futurum ut uestra diligentia, aduersarij mei institutum nostrum falso accusantes erubescant, & Doctores clarissimi qui adsunt, quosq; hodie iudices delegi, uos eruditione, lingua, moribus, uitæ splendore atque mundicijs anteire Bethicis & illis perpetuò anteponeandos esse fateantur.



D I X I.

Absolutæ sunt hæ tres Rhetoricæ partes, Deo duce, pridie nonas Iulij. 1566. Eas habet uenas Palmyrenus in suis ædibus Valentia: pretium constituit victoriatos tres, in partes singulas.

Excuditur modo sylua rei nummaria, quæ Deo duce intra dies quindecim absoluetur.